2/9

E. K. Warburton

SEPTEM ASIÆ ECCLESIARUM ET CONSTANTINOPOLEOS NOTITIA.

Authore THOMA SMITHO,
Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

Editio nova auctior & emendatior.

TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ Typographi, cIↃ IↃc xciv.

ASIÆ
ECCLESIARUM
ET
CONSTANTINOPOLEOS
NOTITIA.

LECTORI S.

Effluxêre jam viginti anni, ex quò Oxonii *hanc* ſeptem Aſiæ minoris Eccleſiarum notitiam *primò in publicam lucem dedi, partim mei ipſius cauſâ, ut hoc ſpecimine præmiſſo qualis qualis induſtriæ meæ, dum in* Oriente *degerem, ratio conſtaret; partim quoque, & maximè quidem, aliorum, quali in ſtatu hodiè res Chriſtianorum ſint, & quale fatum urbes iſtas urgeat, quæ antequam accenſâ religionis face Gentilium ſuperſtitionum tenebræ fugarentur, cæteris ſplendore & dignitate præſtantes, poſt receptam fidem longè illuſtriores redditæ, tot hominum myriadas Eccleſiæ ſuppeditaverint, ſedulò inquirentium gratiâ,*

ut in ipſos præcipuè pars fructûs itineris Turcici, *quod, ut patriæ meæ boniſque literis pro modulo meo prodeſſem, ſpreto omni periculo, non ſine alacri mentis fervore ſubii, derivaretur. Nec eſt, quod me meæ facilitatis, qui amicorum importunis conſiliis & efflagitationibus vix unquam refragari auſim, in hoc libello extrudendo pœniteat, quem cum non mediocri favore & gratiâ exceptum fuiſſe intellexerim, ut quibuſdam acceſſionibus auctus iterum* Londini *A. Ch. M. DC. LXXVI. prelo mandaretur, non invitus permiſi. Diſtractis autem a longo tempore exemplaribus, ut opuſculum per tot annos neglectum, jam novis curis recognitum, denuo ederetur, facilè inductus, Diarium meum, in quo quicquid memorabile occurriſſet annotaveram, diligentèr relegi, inde quod minus correctum prodiiſſet, emendaturus, & ſi quid præ feſtinatione aut ex induſtriâ in prioribus editionibus omiſerim, adjecturus: in quâ indagine, ut aliquot Inſcriptiones magis integræ exſtarent, aliorum, qui iſtud iter* Aſiaticum *poſtea emenſi ſunt, operâ me adjutum libens fateor. Neque enim illorum laudibus invidere, aut induſtriæ quicquam detrahere velim, dum*

quod

quod meum est, & quod fortasse orbem literatum ad hunc usque diem latuisset, nisi ipse eruissem illæsis veritate & modestiâ, vindicavero.

Dum Smyrnæ *manerem, illius itineris in usum comitum meorum, qui istud pensum a me exegerant, historiam* Anglicè *confeci: inde ad aliorum manus, quod mihi exploratissimum est, apographa devenêre; quod eo lubentius concesseram, ut novis hisce indiciis ad aliorum, qui ante me eadem loca, vel in ipsis ruinis venerabilia, invisissent, observationes superadditis, de marmoribus nondum detectis, a nostratibus nobilis prosapiæ mercatoribus in isthoc celeberrimo emporio continuò succedentibus, quibus singulis ferè annis ea ad explendam perquam laudabilem curiositatem, cum a rebus suis vacaverint, adire solenne est, facilìori operâ inquireretur.*

Ex exemplari illic relicto D. Sponium, *sedulum harum rerum investigatorem, Inscriptiones pleraſque omnes* Pergami, Sardibus, Philadelphiæ, Hierapoli, & Laodiceæ *repertas in* Itinerarium *suum congessisse, hinc mihi maximè constat, quod iis in locis, quæ vidisse illi nunquam contigerit, eas, cum omnibus antea planè*

incognitæ essent, primus exscripserim, quod salvâ illius in cæteris industriæ famâ dictum volo, qui cum Viro clarissimo, D. Georgio Whelero, *cujus egregium quoque* Itinerarium *exstat, ferè universam* Atticam *peragravit: licet me nominare, saltem frigidissimè, aut libellum meum, quem etiam typis expressum pariter ac chartas manu exaratas coram oculis habuit, citare, nescio quo invidiæ æstro percitus, vix sustinuerit. De quâ re, ipso vivente, coram amicis ipsius sæpè questus sum.*

Tantum verò abest, ut ex hoc jejuno & tenui labore laudem plausumve captem, ut potius, quod citra omnem dissimulationem profiteor, censuram, eamque non levem, reformidare debeam, nisi multa, quæ apud æquos rerum arbitros & judices veniam merebuntur, justæ excusationis vice proferenda mihi suppetiissent. Quot malas suspiciones alant Turcæ, *qui in locis mediterraneis degunt, procul a maritimis emporiis dissiti, de* Christianis *occidentalibus, qui ex ruderibus harum urbium sparsisque reliquiis veterum seculorum memorias eruendi desiderio eas ab hisce barbaris insessas subinde invisunt, ubicunque ferè itum erat, experti sumus. Si qui paulo mitiori ingenio essent, in risum effusi, stultitiamque no-*

noſtram, qui longinquum & laborioſum iter ſolâ rudera & vetuſtate exeſos lapides contemplandi cauſâ, uti jocularitèr ajebant, tanto cum apparatu ſuſceperimus, plane obſtupuiſſe viſi: alii ex odio noſtri moroſiores, quaſi prorsùs mali ominis eſſet, ſi quid inde arcani; quod ſolidè metuebant, in illorum præjudicium inveniretur, denſo agmine circumfuſi, aut nos vetuêre, aut quo minus id cum commodo noſtro fieret, ſeſe interpoſuêre. Sed horum cachinnos & convitia patienti animo ſpernere & concoquere poteramus, ſi iis in locis longiorem moram feciſſe per ingentes ſumptus licuiſſet. Ut cuncta maximè explorata haberentur, longi temporis, quo carebamus, opus erat: neque id noſtris rationibus conveniebat, qui celeri pede harum urbium plateas percurrere, avidiſſimiſque oculis quicquid erat obvium luſtrare contenti, propemodum ſequenti die exibamus, nova loca quæſituri.

Ex monumentis nuper in Græciâ *&* Anatoliâ *erutis, nemo tam hebetis ingenii eſt, quin facilè concedat, magnam quoque lucem rebus ſpiſſâ caligine adhuc ſepultis affatim affundi poſſe, ſi hæc Principum & Magnatum cura & deliciæ eſſent, ſi exiguâ opum, quas luxus profundit, in hac ele-*

incognitæ essent, primus exscripserim, quod salvâ illius in cæteris industriæ famâ dictum volo, qui cum Viro clarissimo, D. Georgio Whelero, *cujus egregium quoque* Itinerarium *exstat, ferè universam* Atticam *peragravit: licet me nominare, saltem frigidissimè, aut libellum meum, quem etiam typis expressum pariter ac chartas manu exaratas coram oculis habuit, citare, nescio quo invidiæ æstro percitus, vix sustinuerit. De quâ re, ipso vivente, coram amicis ipsius sæpè questus sum.*

Tantum verò abest, ut ex hoc jejuno & tenui labore laudem plausumve captem, ut potius, quod citra omnem dissimulationem profiteor, censuram, eamque non levem, reformidare debeam, nisi multa, quæ apud æquos rerum arbitros & judices veniam merebuntur, justæ excusationis vice proferenda mihi suppetiissent. Quot malas suspiciones alant Turcæ, *qui in locis mediterraneis degunt, procul a maritimis emporiis dissiti, de* Christianis *occidentalibus, qui ex ruderibus harum urbium sparsisque reliquiis veterum seculorum memorias eruendi desiderio eas ab hisce barbaris infestas subinde invisunt, ubicunque ferè itum erat, experti sumus. Si qui paulo mitiori ingenio essent, in risum effusi, stultitiamque no-*

noſtram, qui longinquum & laborioſum iter ſolâ rudera & vetuſtate exeſos lapides contemplandi cauſâ, uti jocularitèr ajebant, tanto cum apparatu ſuſceperimus, plane obſtupuiſſe viſi: alii ex odio noſtri moroſiores, quaſi prorsùs mali ominis eſſet, ſi quid inde arcani; quod ſolidè metuebant, in illorum præjudicium inveniretur, denſo agmine circumfuſi, aut nos vetuêre, aut quo minus id cum commodo noſtro fieret, ſeſe interpoſuêre. Sed horum cachinnos & convitia patienti animo ſpernere & concoquere poteramus, ſi iis in locis longiorem moram feciſſe per ingentes ſumptus licuiſſet. Ut cuncta maximè explorata haberentur, longi temporis, quo carebamus, opus erat: neque id noſtris rationibus conveniebat, qui celeri pede harum urbium plateas percurrere, avidiſſimiſque oculis quicquid erat obvium luſtrare contenti, propemodum ſequenti die exibamus, nova loca quæſituri.

Ex monumentis nuper in Græciâ *&* Anatoliâ *erutis, nemo tam hebetis ingenii eſt, quin facilè concedat, magnam quoque lucem rebus ſpiſſâ caligine adhuc ſepultis affatim affundi poſſe, ſi hæc Principum & Magnatum cura & deliciæ eſſent, ſi exigua opum, quas luxus profundit, in hac ele-*

ganti utilique literaturâ promovendâ pars impenderetur, si denique viri idonei, viatico aliisque subsidiis instructi, in Orientem *mitterentur, gazas hasce literarias, puta libros manuscriptos, numismata, gemmas curiosè cælatas, & marmora, collecturi. Ingentes enim literatorum marmorum strues ferè ubique occurrunt, vel saltem in quibusvis insignioris notæ Civitatibus absque operosâ investigatione reperire est, novaque eorundem copia continuò effoditur, quæ Exscriptorum industriam desiderabunt. Vel sola* Hierapolis, *quantum præsens judicare poteram, plusquam octidui, si illic mihi tam diu manendum fuisset, laborem exhausisset. Vidi sanè ubivis per hasce Provincias olim florentissimas, & omni magnificentiæ genere meritò seculis retro actis superbientes, quod erat faciendum, & quod feciſſe maximè in votis habui: sed quo minus votorum compos fierem, ingratissima illa festinatio, quam induxerat abeundi necessitas, omninò intercedebat: adeo ut adhucdum post tot annorum intervallum, quod præsens tunc sentii, animi planè dubius hæream, an major pectori insideat lætitia, quod hasce celebratissimas Ecclesias conspexerim, an dolor, quod eas tam citò quasi vix perspectas relinquere fuerim coactus.*

De

De alterâ Constantinopoleos *notitiâ non est, quod te longum morer. Quæ illic in oculos, dum frequens per Urbem itarem, incurrissent, in Adversaria, ut exindè labili memoriæ succurreretur, in proprios tantum usus conjeci: in proprios inquam usus. Si enim ejusmodi observationes tandem aliquando in publicam lucem exituras esse, unquam, cum* Constantinopoli *vixerim, in mentem venisset, & famæ meæ (neque id affectatâ aut vanitate aut arrogantiâ dictum, si me noris, suspicaberis) & exspectationi tuæ longè melius fuisset prospectum. In hâc verò editione* Supplementum, *quod* Actis Philosophicis *pro mense Octobri A. Ch. M. DC. LXXXIII.* Oxonii *editis quorundam clarissimorum Virorum rogatu inseri passus sum, in linguam Latinam a me conversum habebis.*

Interim si quid in utrisque Notitiis, *crudis licet imperfectisque, repereris, quod aut pietati tuæ aut literariis studiis, quo melior eruditiorve fias, conducere possit, vel quod mentem tuam per varias mundi regiones, quaquaversum Peregrinantium audacia penetraverit, liberè exspatiantem aliqua delectatione perfundat, habeo ipse post tot pericula, quibus faventissimo Numine terrâ*

marique felicitèr ſum defunctus, quod mihi abundè gratuler. Vale ergo, & his cum utilitate & gaudio, quod voveo & ſpero, fruere.

T. S.

Weſtmonaſterii prope palatium S. *Jacobi.*
XVI. Sept. M.DC.XC.II.

EPI-

EPISTOLA,

IN QUA

SEPTEM ASIÆ ECCLESIARUM NOTITIA CONTINETUR.

MITTO jam ad Te, *Vir Clarissime*, septem *Asiæ* Ecclesiarum, quas olim ipse *Christus* nascente *Christianismo* literis *S. Joanni Apocalyptæ* dictatis salutare dignatus est, descriptionem, non accuratam quidem, (id enim fateri mihi fas est) sed brevem, & qualem potui præ angustiis temporis, aliisque, quibuscum in hoc itinere expediendo confligendum habui, incommodis. Diligentiâ & pietate Peregrinantium, qui *Hierosolyma* singulis annis frequentes invisunt, hactenus effectum est, ne orbis *Christianus* nesciat, quali in statu ea loca sacra sint, quorum quisque paulò curiosior ex chartis & libris, qui exstant, sibi ferè qualem qualem ideam in mente effinxit, & de iis adeò expedite loquitur, ac si ea omnia pedibus & oculis lustrasset.

ſtraſſet. Sed ea felicitas hiſce Eccleſiis olim celebratiſſimis, quas Apoſtoli fundarunt, nondum contigit, quibus triſtius fatum incubare videtur, quòd pene neglectæ jaceant. Tanti neglectûs puduit aliquos è gente noſtrâ *Smyrnæ* commercii cauſâ degentes, quibus pio zelo ac curioſitate perquàm laudabili accenſis, reliquias tantæ magnificentiæ, quam ſingulæ illarum olim merito jactarunt, paucis abhinc annis intueri cordi erat. Mihi quoque, dum *Smyrnæ* agerem, præſtolanti, uſquedum naves *Anglicæ* è portu ſolverint, acre inerat eaſdem inviſendi deſiderium, quod in impatientiam tandem ceſſit. Illud enim unicè in votis habui, de peregrinatione illûc inſtituenda factus indies magis ſolicitus: ſed defuit opportunitas; nondum enim detumuerant aquæ, quæ ripis ſuperfuſæ in agris ſtagnârunt; defuerunt comites, nec enim id ſolus auderem: utpote qui triſti experientiâ edoctus eram, quibus periculis quantiſque difficultatibus occurrendum fuerit; & memoria malorum, quæ, dum *Pruſiam* peterem, terrâ marique paſſus fuiſſem, me planè abſterruit. Verum enim vero navibus noſtris non niſi poſt quatuor menſes diſceſſuris, planè piguit tantiſper morari; & amor ille, quo erga loca hæc veneranda ferebar, me magis magiſque ad id aggrediendum ſtimulavit; nec ampliùs memineram periculorum, quæ aliàs metuenda erant, dum de tædio amovendo, quod tam diuturna mora ingereret, cogitarem. Tandem tres alios idem, quod me antea, invaſit deſiderium, unde nova ſpes illuxerit, me voti compotem redditum iri. Appetebat ver, & iter

matu-

maturandum erat, quo fieret commodius, antequam calores ingraveſcerent: quo autem ſecuriùs iretur, duos *Janizarios* probatæ fidei & fortitudinis, duos item è gente *Armenâ* Chriſtianos, item coquum, qui edulia noſtra pararet, & tres agaſones, qui equorum noſtrorum curam agerent, conduximus. Tanto numero nobis de ſecuritate & ſalute noſtrâ neceſſariò proſpiciendum erat, eò quòd illo anni tempore latrones, quibus pro ſævitia illorum crudeliſſimus iſte mos inolevit prius vitam quàm veſtes & pecunias ſurripiendi, quo prædam certiſſimè captent, in publicis viis turmatim graſſentur, eaſque infeſtent. De equis enim alendis è gramine ſuccreſcente ſecuri, ne urbes & oppida ingredi cogantur, quo fugam ſibi paratiorem habeant, in planitie campeſtri pernoctantes, è montibus *Ciliciæ*, & interdum è *Georgiâ*, extremas *Anatoliæ* regiones ſubinde petunt, animo planè hoſtili & prædatorio contra quoſvis, (neque enim à Turcis diripiendis abſtinetur) modò ſint viribus ſuperiores. Hac in re humanitatem *Kadii* ſeu *Judicis Smyrnenſis* non celandam arbitror, qui ad eam dignitatem nuper promotus, quo gentem noſtram ſibi magis demereretur, poſtquam propoſitum noſtrum de hoc itinere faciendo ipſi innotuiſſet, nuncio quodam miſſo conſuluit, nos armis benè inſtructos & forti ſatellitio ſtipatos eſſe oportere; aliter verendum eſſe, ne malè iter ſuccederet: communi enim famâ vulgatum erat, iſtiuſmodi prædones per varias Provincias huc illuc excurſiones facere, multoſque ex improviſo intercepiſſe. Quo conſilio commone-

monefacti, adversus omnes siniſtros eventus, quantum in nobis erat, hoc modo proſpeximus, maxime tamen Divinâ Providentiâ freti. Hiſce jam quaſi præloquiis perfunctus, ad id, quod propoſui, enarrandum pergo, ea omnia, uti etiam quicquid inter eundum contigerit, ex diario relaturus: mihi enim ſolenne erat, nec unquam intermiſſum, diurno itinere peracto, quicquid occurriſſet annotare, & dum harum urbium ruinas luſtrarem, ea ſtatim in tabulas referre. Rejectâ igitur ad extremam epiſtolæ partem *Smyrnæ* deſcriptione; cum bono Deo incipiam.

Tertio Aprilis An. Chr. 1671. *Smyrnâ* diſceſſimus, & extremâ ſinûs parte, quæ longiùs protenſa verſus Euroaquilonem excurrit, ſuperatâ, ad montes Septentrionales, neſcio an rectè à noſtratibus dictos *Gordilen*, qui cum Mimante ipſis in directum oppoſito ſinum illum recipiendis navibus & ab omni ferè ventorum injuriâ defendendis opportunum efficiunt, perreximus; ſub quibus, in planitie ab eorum radicibus ad litus marinum extenſâ, ſpatio quatuor circiter horarum noſtrum continuavimus iter, præcipites tamen & aſperas rupes, quæ viam præcluſêre, ſubinde aſcendere coacti. Sed minimè metuendum erat, ſi curâ adhiberetur, equis eas inoffenſo pede ſcandentibus. Verſus Boream fere rectâ itum erat, niſi quod via ad Occidentem paulò deflectenda eſſet. Quo meliùs varias itinerum circumgyrationes ac deflexus, locorumque, quæ luſtratum ire cupii, ſitum ediſcerem, pyxidulam nauticam, quæ nobis uſui futura eſſet, nobiſcum ferendam curavi:

in

in hiſce enim terris planè navigandum eſſe videbatur. Gratum erat ſpectaculum ſinus ille, quem prætervecti ſumus; nec minori delectatione perfudêre oculos malorum citrearum & medicarum nemora, denſæque ficus & amygdalæ, quæ paſſim floruere. Relicto tandem litore, terram intravimus: facilè hinc *Ioniæ* fertilitatem, quam tantoperè deprædicant antiqui Scriptores, colligere licebat, ſimulque *Turcis*, qui agriculturam non admodum callentes tam divite & felici ſolo rectè uti neſciunt, ignaviam exprobrare. Viculos quamplurimos huc illuc ſparſos pertranſiimus, quos ignobiles appellarem, niſi quod jucundiſſimus ſitus eos adeò commendet, ut iis nobilitatem addere quodammodo videatur. In conſpectu erat oppidum *Menamen* appellatum, Antiquorum, ni fallor, *Temnos*, in editiore loco poſitum, tam ædibus & *Moſcheis* quam commercio celebre: hic enim craſſiores illi panni, quibus ſericum cæteræque pretioſæ merces involvi ſolent, contexuntur, quod a dextrâ reliquimus, ad fluvium *Hermum*, qui ab eo paulò abeſt, rectà euntes.

Hermus ortum in *Phrygiâ* majore habens, per *Lydiam* & *Æolidem*, quarum prata & paſcua quam maximè fœcundat, dilapſus, in ſinum *Smyrnenſem* aquas effundit, non procul à *Phocæâ* hodiè *Foggia Vecchia*, eo in loco, cui in altera ſinus parte opponitur *Vurla*, fortaſſe *Clazomenæ* Veterum oppidum, quod hodiè à *Græcis Turciſque* valetudinariis ob aquas calidas medicinales, quæ illic ſcaturiunt, inde * Straboni θερμὰ ὕδα-

* *Geogr. l.* 13.

& dictum, tempore æstivo valdè frequentatur.

Alveus, quo defertur, *Thamesino* nostro ad *Windesoram* longè angustior mihi visus est; in aliquâ sui parte vadosus, sed tunc ex novo pluvialium aquarum accessu profundior redditus, non nisi pontone, quem illic invenimus, erat trajiciendus.

Post sesquihoram oppidulum quoddam attigimus, *Chiaus Kui* nuncupatum, ubi pernoctandum erat. Hæc enim est prima mansio (*Conac Turcicè*) post iter octo horarum. In angusto quodam tuguriolo excepti eramus, nobis ipsis gratulantes, quod sub dio non esset dormiendum.

Sequente die post tres horas sinum † *Elæensem* ab urbe *Elæâ*, quæ propè imminet, nuncupatum, a longè prospeximus: ad cujus extremam partem, quæ ad Boreazephyrum jacet, dum tendebamus, ab oppido * *Guzel hisar* (quod pulchrum Castrum denotat) in clivo montis bellè admodum sito, de industria, longâ licet circumitione, declinavimus, illud de longinquo vidisse contenti. Aliqui enim è gente nostrâ illic a barbaro & iniquissimo Judice ante paucos menses pessimè habiti & mulctati erant, hoc levissimo prætextu, quod vinum in pellibus consutis (his enim utimur, utpote portatu præ cæteris vasis facilioribus) circumtulerint, contra quam paulo ante jussum

† Κόλπον Ελαϊτικὸν ἢ Ελαΐτην.

* *E situ & distantiâ oppidum hoc esse Ægas antiquorum concludendum videtur.* Αἰγαὶ enim juxta Strabonem Geogr. lib. 13. sitæ sunt κατὰ τὴν ὀρεινὴν ἡ ὑποκειμένην τῇ τε Κυμαίας, καὶ τῇ Φωκαίων καὶ Σμυρναίων γῆς, παρ' ἣν ὁ Ερμὸς ῥεῖ. *Illic antiqua marmora, quorum unum Dejotari nomen inscriptum habet, adhuc exstare mihi retulit testis oculatus.*

fuisset

fuisset ab Imperatore, qui vini usum omnibus severè interdixerat. Ab iis pecuniam, antequam dimitterentur, nebulo iste extorsit, de quo eorum rogatu questus est apud *Vizirium* D. Legatus, & ut tam horridi facinoris pœnas lueret, postulavit. Verebamur nos, ne odio gentis nostræ, hujus criminationis, cujus reus esse peragebatur, memor, in nos magis sæviret, gentis suæ genium secutus, quæ vindictam semper meditatur, eique quam maximè studet. Sole ad occasum vergente, collem extra viam publicam ascendimus, in quo viculus *Clisia kui* dictus situs est, cum *Pergamum* illo die commodè satis attingere non potuerimus, itinere decem propemodum horarum fessi: his enim distantias & intervalla locorum numerant, & itinera emetiuntur *Turcæ*, *Græci*que, non leucis aut milliaribus, ad quæ tamen ea, quantum conjecturâ assequi possum, in sequentibus reducere conabor. Hinc ab altera parte jucundissimus est prospectus in planitiem, quæ subjacet, *Pergamenam*, cujus delicias oculis nostris prælibavimus. Postero die sylvâ dimidio horæ peragratâ, illuc perventum erat. Hîc omnia ad luxuriem à naturâ composita esse videntur, nec fortasse vix alicubi terrarum par planities reperienda est. Viginti sex milliaribus, aut circiter in longum extenditur, antequam æqualitatem ipsius abrumpat vel unus colliculus. Post quem multò longiùs excurrit in Notapeliotem; variæ autem est latitudinis, ubi amplior, quinque milliaria occupat. Illius partem tegunt oleæ, pars colitur; partem depascunt numerosi greges. Ad Boreaze-

phyrum amnis *Cetius*, perparvo aquarum decursu fluit, à *Pindaso* monte ortus; ad Austrum verò *Caicus* ex *Mysia* veniens, quem ponte saxeo tredecim arcubus suffulto, ad mille passus ab urbe trajecimus. Hinc quoque pleraque ex parte lenissimè decurrit, alveum *Hermo* dimidio minorem habens, quem, pluviis ubertim cadentibus & nivibus, in vicinis montibus liquefactis adauctus, supergredi & campos inundare solet; unde urbs est aditu perquam difficilis tempore hiemali ob paludes. Effunditur in sinum *Elæensem*, non procul ab *Elæa* urbe *Æolidis*, hodiè à *Turcis*, ni malè memini, *Ayasman* dictâ ad Occidentem. Hinc merces aliaque *Pergamum* devehuntur, (* nec enim propiùs accedunt naviculæ) à quo fortean duodecim millia passuum præterpropter distat. Fluvius autem hic limes est, qui *Æolidem* à *Mysiâ* disterminat.

Pergamus olim metropolis *Mysiæ Hellespontiacæ* (perparvâ variatione à *Turcis* dicta *Bergamo*) sexaginta ferè quatuor mille passus versus *Circium* à *Smyrnâ* dissita: sub prælto & præcipiti monte jacet, quo adversum flatus Boreales satis munitur. Urbi imminet arx in vertice montis posita, ab antiquis *Asiæ minoris* dominis exstructa, quod innumeris indiciis patebat: hanc *Turcæ*, jam ab omni suspicione belli securi, & sibi ab hostibus in hisce regionibus mediterraneis neutiquam metuendum esse censentes, negligunt, utpote tormentis

* Ελαία πόλις, Αιολικὴ ἡ ἐστὶ Περγαμηνῶν ὀπίνειον. *Strab. Geogr. libr.* 13. ubi eam a Pergamo centum viginti stadiis distare asserit. Ελαία πόλις τῆς Ασίας, Αιολικὴ, Περγαμηνῶν ὀπίνειον, ἡ Κιδαγγις ὀνομάζετο. *Stephanus Byzantinus* ibi.

reli-

reliquoque apparatu bellico destitutam. Illic hæc epigraphe marmori in honorem *C. Antii Julii Quadrati* à senatu populoque *Pergameno* erecto inculpitur.

ΓΑΙΟΝ ΑΝΤΙΟΝ ΑΥΛΟΝ ΙΟΥΛΙΟΝ ΑΥΛΟΥ
ΥΙΟΝ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΝ ΔΙΣΥΠΑΤΟΝ ΑΝΘΥ
ΠΑΤΟΝ ΑΣΙΑΣ / ΣΕΠΤΕΜΟΥΙΡΟΝ
Ε ΠΟΥΛΩΝΩΝ ΦΡΑΤΡΕΜ ΑΡΟΥΑΛΕΝ
ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ
ΚΑΙ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΑΣΙΑΣ
ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΕΠΑΡΧΙΑΣ
ΚΑΠΠΑΔΟΚΙΑΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ΚΡΗΤΗΣ
ΚΥΠΡΟΥ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΛΥΚΙΑΣ, ΚΑΙ ΠΑΜΦΙΛΙΑΣ
ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΝΕΡΟΥΑΣ ΤΡΑΙΑΝΟΥ
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ
ΔΑΚΙΚΟΥ ΕΠΑΡΧΙΑΣ ΣΥΡΙΑΣ Η ΒΟΥΛΗ
ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΤΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΩΝ ΤΗΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ
ΤΩΝ ΣΤΡΑΤΙΩΤΩΝ.

Quadratus è familiâ *Antiâ* & *Juliâ*, cujus meminere Cicero, Livius, allique, uti videtur, oriundus, istud gentilitium nomen adscivit. Frustra enim sunt, (inter quos *Lydiatus* nostras) qui ex uno eodemque Consule binos faciunt; quibus apertissimè refragatur hæc inscriptio, uti & altera Latina, quæ exstat apud *Onuphrium Panvi-*

nium in Commentariis in lib. 2. Fastorum ad A. V. C. DCCC. XL. VI.

Sub *Domitiano*, quo anno *Pompejus* collega & *Cornelius Priscus* erant Consules ordinarii, suffectus est, cum *M. Lollio Paulino*, anno Æræ vulgaris Christianæ XCIII. & sub *Trajano* iterum erat Consul, sed ordinarius, una cum *Candidò*, hoc est anno ejusdem Æræ CV. uti habent Fasti, quo anno *Hadrianus* factus est Tribunus plebis, quod testatur Spartianus in vitâ ejus: unde illum Δισύπατον fuisse marmor rectè signat. Solenne vero erat in marmora, quæ indigitamentorum vice posteris futura essent, omnium ipsius, quem tali honore dignabantur, officiorum tum civilium tum militarium titulos coacervare, inque iisdem recensendis exspatiari; quod hîc factitatum videmus. Sed hæc obiter, neque enim jam scribimus annotationes.

Quo autem de hac arce meliùs defendenda olim provisum esset, antemurale quoddam lateri montis longo quidem tractu insedit, cujus extremum propugnaculo claudebatur, ut ex ruderibus facilè conjectari licuit. Dum plateas curiosè lustrarem, mihi ædificia pulchra è quadrato lapide exstructa, quæ adhuc durant, quam maximè placuerunt. Penè crediderim *Turcas* non illic habitare, *Pergamum*que ipsis non cessisse: adeò omnia nitebant. Nec poteram quin primo aspectu huic Metropoli gratularer, quòd tam bene cum ipsâ actum esset præ cæteris, quarum splendidæ ædes solo æquantur, iisdemque fundamentis angusta tuguriola & gurgustia è luto sole cocto, nullâ arte,

arte, nullis ornamentis, constructa insistunt. Sed me ab hac placida cogitatione citò abripuêre ingentes ruinæ in orientali urbis regione exstantes, quibus equidem visis, eo gravior animum concussit mœstitia, quo antea magis lætabar. Hic quinque columnas marmoreas politissimas, viginti circiter pedes longas, capitulis admodum curiosè elaboratis, recta linea intervallo prorsus æquali stantes inveni: ulteriùs, duas alias, ejusdem prorsus ordinis & magnitudinis, non æquali spatio inter ipsas servato, quæ instar tot fulcrorum sustentando parieti ipsis contiguo inserviunt. His ex opposito respondet alia columnarum series, quarum epistylia deficiunt, duabus humi jacentibus. Hæc rudera palatii esse facilè putem, an verò regum, qui olim hâc in urbe sedes suas fixerant, hoc maximè incertum est, & planè insipientis erit post tot annorum centurias aut statuere aut credere. Magis ad Orientem versus planitiem ecclesiæ cathedralis, olim *D. Joannis* memoriæ consecratæ, ruinas vidi: è latere condita est, quinquaginta sex passus longa, lata triginta duos; placuit enim eam ambulando metiri, neque enim alia ratio mihi suppetebat templorum aut amphitheatrorum dimensiones cognoscendi, uti nec columnarum, nisi solâ conjectura; quod hic monendum duxi, ne tibi aut mihi etiam fraudi sit, si forte in hisce mensuris assignandis alicubi errem. Parietes altum assurgunt, duobus fenestrarum ab alterutrâ parte ordinibus superimpositis. In ipsâ ecclesiæ nave aliquot restant columnæ, sed adeò mutilatæ, ut à debitâ altitudine maximè deficiant. *Turcæ* enim

præ ignavia, labori effodiendi terram, quo integræ eruantur, parcentes, eas disrumpunt & intercidunt, ubi supra superficiem eminent, quarum partes illorum usibus non minùs commodè inserviunt, eas nimirum utrisque sepulchrorum extremitatibus affigendi. Harum ingens copia ubique in *Turcarum* cœmeteriis, quæ sunt extra urbes & oppida prope vias publicas, oculis nostris obversabatur, dum iter fecimus. Ferè contigua sunt duo rotunda ædificia, παρεκκλήσια, (sic enim appellant *Græci* sacella, quæ quoddam amplius templum propè attingunt, & cujus usibus inserviunt) quorum alterum alteri par, ab alterutrâ ecclesiæ parte, quibus aditum præbent portæ excelsæ: in hypogæum descendimus, quod multis fornicibus & columnis suffultum grave illud pondus superpositum (muri enim saxei sunt valde crassi) sustinet. Superiorem urbis partem alluit *Selinus*, ita ut ex alterutra parte hinc illinc olim habitaretur, cujus aquæ ob vada tumultuantes cursu rapidissimo versus *Carbam* in *Caicum* feruntur: super hoc fluentum ædificantur aliquot pontes lapidei, quo facilius in varias urbis plateas eatur. Trans *Selinuntem* adhuc restat pulchra & ampla ecclesia, olim *sanctæ Sophiæ* titulo ornata, ad quam gradibus lapideis ascenditur, quam hodie polluunt *Turcæ*, utpote in *Moscheam* conversam. In hujus amnis ripâ ostium cujusdam cryptæ, quæ ad arcem usque exporrigitur, observavimus, cujus artificii beneficio aquam, dum obsidione premerentur, sibi olim derivârunt. Secus viam publicam in latere collis ab Occidente parietinæ aquæ-

ductûs adhuc exstant. In ipso colle visuntur ingentes quædam saxeæ substructiones, quibusdam cameris arcuatis (sex numeravi) integris manentibus. In tantâ rerum caligine ac confusione, ne locus quidem conjecturæ datur, quales olim fuerint. *Græci* suas penitùs ignorant antiquitates, *Turcæ* quoque istiusmodi studia derident & despicatui habent: aliqui tamen ex his, qui paulò sapientiores cæteris censeri cuperent, nobis retulêre hasce ruinas esse gynæcei, (*Kiz Serai*) de anteactorum seculorum moribus, quorum ne minimam quidem habent notitiam, pro fœdo rerum conceptu, ex hodiernâ Imperatorum suorum praxi, statuentes, quasi in his sine aliquo discrimine convenisset. A quibusdam *Christianis* pro lasciviente eorum in nominibus imponendis ingenio, *Galeni*, qui ex hac civitate oriundus erat, ædium rudera esse finguntur: mihi potius videntur partem aquæductûs longè nobilissimam olim constituisse. Propè aderant ad Austrum aliæ moles, fornicibus sustentatæ, quæ etiam hodie, licet dirutæ & collapsæ sint; tamen magnificæ videntur. Hinc, postquam urbem & planitiem protensam avidis oculis conspexissemus, ad aream theatri, cujus gradûum vestigia adhuc manent, descendebatur. Inter descendendum in marmor quoddam incidi, cui inscriptum erat ΗΡΑΚΛΗΣ: in latere oppositò statua marmorea sub ruderibus sepulta absconditur, quam a pauperè *Christiano* tolli curavimus. Hic enim unicus videtur modus eam integram servandi, cùm *Turcæ* in figuras hominum sive penicillo, sive scalpro, sive curioso operis *Mosaici* artificio elaboratas tan-

to odio exardescant; ut si modò sub dii luminis auras exstitissent, naso abscisso oculisque excavatis citò ab iisdem deformaretur. Non longè ab urbe in Notolybicum nos invitavit ingentium saxorum prospectus, quæ ex situ, dum integra stetere-rint, propugnaculum olim condidisse conjecimus: subtus, concamerationes quædam in modum ambulacrorum, præter usum fundamenti, reponendis & recondendis tum belli tum annonæ provisionibus designatæ esse videbantur, licet hodie capræ & oves illic stabulentur. Ad Austrum quoque ad quingentos ferè ab urbe passus adhuc exstant duo colliculi sibi invicem oppositi, qui viam publicam interjacent, in munimenta, uti videtur, arte & industriâ in rotunditatem congesti, quò urbs ab omni hostili impetu securior redderetur: quod itidem ad Orientem eodem ferè intervallo factum observavi.

In areâ cujusdam balnei publici hanc epigraphen epistylio columnæ valdè in terram depressæ incisam reperi,

MA. ÆMILIO AUR. PUB. PROCULO
PRÆF. FABR. MA. LEPIDI AUG.
PROCUR. SACRUM.

Adhuc caput bovis eidem quoque insculptum signanter exstat. In eadem areâ, dum oculos meos undiquaque circumfero, canis venatici figuram in lapide quadrato benè repræsentatam, characteresque *Græcos* subtus positos supra in muro videbam, quos cum ob nimiam distantiam perscrutari non potuerim, tandem admotâ, quam non facilè pro-

curabam, scalâ assecutus, distichon sequens reperi:

ΟΥΝΟΜΑ ΦΙΛΟΚΥΝΗΓΟΣ ΕΜΟΙ ΤΟΙΟΣ ΓΑΡ
ΥΠΑΡΧΩΝ ΘΕΙΡΣΙΝ ΕΠΙ ΦΟΒΕΡΟΙΣ ΚΡΑΙΠ-
ΝΟΝ ΕΘΗΚΑ ΠΟΔΑ.

Intus magnificum vas marmoreum figuris equitum, qui illud circumambiunt, affabrè elaboratum, cujus perimeter viginti circitèr pedum est, adhuc restat penè integrum, nisi quod in summo quippiam abrumpatur. An in sacros baptismatis usus olim fuerit destinatum, vix constat. Urbs ferè tota occupata est à *Turcis*, pauciissimis illic *Christianorum* familiis hodiè relictis, quorum status admodum tristis & deplorandus est. Hic una ecclesiola *sancti Theodori* memoriæ sacrata exstat; & ne nomen *Christi* in *Pergamo* penitùs deleretur, pia Metropolitæ *Smyrnensis* curâ cautum est, qui sacerdotem ad fungendum sacris officiis ad ipsos continuo mittit. Hortorum culturæ maximè vacant, aliaque vilia obeunt munera, quibus si pauculos nummulos exactoribus rigidissimis pro capite pendendos (tributum hoc *Turcicè* appellant *Haraich*) corradant, de cæteris vix sunt soliciti, utpote servituti tam deploratæ adeò addicti, ut ad eam longo usu & patientiâ penè occallescant.

Sexto, *Pergamo* discessimus, *Thyatira* exinde ituri, quam urbem ferè ad Notapeliotem habet. Trajectis iterum fluminibus prope urbem, postquam quatuor horis in pulcherrimâ & feraciissimâ planitie progressi fuissemus, ad flumen aliud, *Hyl-*

lum, ni fallor, olim tempore *Straboni*s *Phrygium* nuncupatum, aquas in *Hermum* exonerans, ventum erat; post, *Somam*, oppidum peramplum in devexitate montis prærlti situm, attigimus, deinde *Kirk-agatch*, oppidulum à numero quadraginta arborum nomen habens, tandemque *Bok-hair*, mansionem nostram, viculum ob bellum prospectum, unde nomen habet, quam maximè commendabilem.

Septimo, duodecim ferè ab hoc viculo milliaribus, paulò extra viam publicam columnas ultra quadraginta vidi; harum aliquæ in terrâ valdè depressæ exstabant, aliquæ in gramine jacebant: sed nulla rudera propè aderant. Unde aliunde advectas quasi in alienum locum crediderim. A viculo *Mader kui* in colliculo posito, sub quem defluit amnis, *Thyatira* una horâ pervenimus.

Thyatira, urbs *Lydiæ*, hodiè à *Turcis Ak hisar*, id est *album castrum* nuncupata, à *Pergamo* quadraginta octo aut circiter milliaribus distantia in planitie conduntur: non parvi ambitûs, qui fortasse tria milliaria in se continebit. Hîc omnia primo aspectu adeò sordebant, ut urbem hanc non à prioribus *Asiæ minoris* incolis, qui pulchris ædificiis delectabantur, eorumque magnificentiæ & nitori studebant, sed à *Turcis* ab origine planè habitatam esse penè, contra fidem historiæ, suspicari ausus essem: unicum enim ædificium antiquum invenimus, quod forum olim fuisse videbatur, columnis ornatum, quarum quatuor tantùm eminent, cæteris multùm defixis in terrâ. Sed ecclesiarum dirutarum ne exstant quidem vestigia;

ite-

iterum investigamus, nec indiligentèr, sed frustra; de hac re ideò, quæ nobis tantam molestiam facessivit, quosdam *Turcas* consuluimus; qui ingentia quædam ædificia ex lapide quadrato subtùs terram multis in locis aggestam & accumulatam nobis retulêre: quod facilè à nobis admissum erat, qui effossâ terrâ ordinatam saxorum seriem & validissima fundamenta ingentibus ædificiis sustinendis non imparia alicubi in his regionibus observavimus. Hanc autem urbem esse *Thyatira* ex antiquis commentationibus & quibusdam inscriptionibus illic repertis jam extra omne dubium ponitur, licet *Græci* hodierni, qui profundâ & planè prodigiosâ harum antiquitatum ignoratione laborant, *Tyriam*, oppidulum, quod ab *Epheso* viginti quinque mille passus ad Notapeliotem distat, pro iisdem sumendam esse contendant, affinitate soni planè decepti; eodem levi prætextu, quo aliqui *Laotik*, oppidum non procul ab *Ancyra*, (*Turcis* hodiè *Anguri*) esse *Laodiceam* crediderunt, cum eandem juxta *Lycum* & *Hierapoli* ex adverso oppositam esse è Geographia veterum certissimis indiciis liqueat.

Adhuc latuerant *Thyatira*, nisi vir clarissimus *D. Rycaut Consul Smyrnensis*, reverendus *D. Luke* Mercatorum & *Anglorum* illic degentium societati à sacris concionibus, aliique, quibus suspectum erat *Græcos* in hac urbe designandâ errâsse, itinere suscepto ea investigatum ivissent, tandemque felicissimè detexissent: sed ecce quam firmissimam fidem faciunt antiquissima marmora.

In medio foro desuper tecto, ne perpluat, in basi

basi cujusdam columnæ sive statuæ hanc epigraphen pulchris & conspicuis characteribus incisam reperi.

Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙ
ΡΗΝΩΝ ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ
ΔΙΟΝ ΑΥΡ ΠΡΟΚΛΟΝ
ΗΡΩΑ ΑΝΔΡΑ ΕΥΓΕΝΗ
ΕΠΙ ΣΕΜΝΟΤΗΤΙ ΒΙΟΥ
ΚΑΙ ΑΡΧΑΙΣ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡ
ΓΙΑΙΣ ΠΑΣΑΙΣ ΔΙΑ ΤΕ ΑΥ
ΤΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ ΓΕΝΟΥΣ.

Lateri saxeæ sandapilæ, cistæ, cui operculum sublatum est, formam referentis, in aream amplæ domûs cujusdam è primoribus urbis apponitur hæc epigraphe, sex longis lineis constans, literis verò minutioribus & sibi invicem ferè sine distinctione verborum adhærentibus & temporum injuriâ quâsi deletis, ut ea omnia, prout antiquitùs designabantur, quod optandum esset, assequi non liceat. Utcunque inscriptionem, licet in aliquibus malè expressam & mendosam, ob res pulchras quas continet, cum veniâ, uti spero, eruditi Lectoris hic quoque apponam.

1. ΦΑΒΙΟΣ ΣΩΖΙΜΟΣ ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΑΣ ΣΟ-
ΓΟΝ ΕΘΕΤΟ ΕΠΙ ΤΟΠΟΥ ΚΑΘΑΡΟΥ ΟΝ-
ΤΟΣ ΠΡΟ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΠΡΟΣ ΤΟΙΣ
† ΑΜΒΑΘΕΙΟΙΣ ΕΝ ΤΩ ΚΑΛΥΔΙΩ ΠΕΡΙ
2. ΒΟΛΩ ΠΑΡΑ ΤΗΝ ΔΗΜΟΣΙΑΝ ΟΔΟΝ
ΕΑΥΤΩ, ΕΦ Ω ΤΕΘΗ ΚΑΙ ΤΗ ΓΑΥΚΥΤΑ-

† *Forsitan legitur* ΤΩΙ ΣΑΜΒΑΘΕΙΩΙ.

ΤΗ

ΤΗ ΑΥΤΟΥ ΓΥΝΑΙΚΙ ΑΥΡΕΛΙΑ ΠΟΝΤΙΑΝΗ ΜΗΔΕΝΟΣ ΕΧΟΝΤΟΣ ΕΤΕΡΟΥ

3. ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΘΕΙΝΑΙ. ΤΙΝΑ ΕΙΣ ΤΗΝ ΣΟΡΟΝ ΤΑΥΤΗΝ ΟΣ Δ ΑΝ ΤΟΛΜΗΣΗ Η ΠΟΙΗΣΗ ΠΑΡΑ ΑΥΤΑ ΔΩΣΕΙ ΕΙΣ ΜΕΝ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ ΤΗΝ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ

4. ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΔΗΝΑΡΙΑ ΧΕΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ ΕΙΣ ΔΕ ΤΟ ΙΕΡΩΤΑΤΟΝ ΤΑΜΕΙΟΝ ΔΙΣ ΧΕΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ ΓΕΙΝΟΜΕΝΟΣ ΥΠΕΥΘΥΝΟΣ ΕΞΩΘΕΝ ΤΟΙΣ

5. ΤΗΣ ΤΥΜΒΩΡΥΧΙΑΣ ΝΟΜΟΙΣ * ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΕΓΡΑΦΗ ΑΠΛΑ ΔΥΟ ΩΝ ΤΟ ΕΤΕΡΟΝ ΕΤΕΘΗ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ ΕΓΕΝΕΤΟ ΕΝ ΤΗ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ

6. ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ ΠΟΛΕΙ ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΚΑΤΙΛΛΙΩ ΣΕΒΗΡΩ ΜΗΝΟΣ ΑΥΔΥΝΑΙΟΥ ΤΡΙΣ ΚΑΙ ΔΕΚΑΤΗ ΥΠΟ ΜΗΝΟΦΙΛΟΝ ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ ΔΗΜΟΣΙΟΝ.

L. Catilius Severus ab *Hadriano Syriæ* præpositus, & quem postea gravitèr infectatus est. Vide Spartianum in Hadriano. Bis Consul, & Præfectus urbi. Ita *Julius Capitolinus* in Marco Antonino Philosopho. Erat Consul cum Antonino Pio A. Ch. CXX. quo anno ceciderunt Nicomedia aliæque urbes terræ motu.

In ejusmodi monumento sepulchrali in officina *Alutarii* planè legebantur hæc verba.

ΣΕΟΥΗΡΟΝ ...
ΕΥΤΥΧΗ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ...

ΤΗ ΚΑΙ ΜΕΓΙΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝ.
ΠΟΛΙΣ.
ΑΡΟΥΝΤΙΩΝ.
ΦΛΑΒΙΑΝΩΝ.

Alias inscriptiones vidi, quarum sequentes in diario præsens annotavi; cum ne omnes quidem, quod maximè vellem, exscribere potuissem: neque enim suppetiit opportunitas præ multitudine *Turcarum*, tam virorum quàm puerorum, qui me inter scribendum circumsteterunt; nec tempus, eò quod quamplurima monumenta in ædium muros ordine inverso ab his infestis literarum & antiquitatum hostibus conjicerentur, qui pro fatuitate suâ nos vix sani capitis esse censuerunt, quod istud iter suscepérimus, laxum vetus, ut irrisoriè ajebant, intuendi causâ.

Crediderim cives olim, antequam Ethnicæ idolomaniæ tenebræ ab Evangelii luce fugarentur, seduios fuisse *Dianæ* cultores. In flexu plateæ propè fontem in lapide effracto, qui muro affigebatur, inter alia legi hæc:

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ.
ΑΡΤΕΜΙΔΙ ΟΡΕΙΤΙΝ.
ΠΑΤΡΙΔΙ ΤΑΑΤΚΩ ΝΕΥΜ
ΔΟΝΤΟΣ, ΑΝΕΘΗΚ.

& in cœmeterio extra urbem ad Boreazephyrum perpulchrum monumentum memoriæ *Ulpiæ Marcellæ* hujus deæ sacerdotis à senatu & populo dicatum exstat cum hac epigraphe:

ΑΓΑ-

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ
ΟΥΛΠΙΑΝ ΜΑΡΚΕΛΛΑΝ
ΤΗΝ ΙΕΡΕΙΑΝ ΤΗΣ ΑΡΤΕ
ΜΙΔΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΛΠΙΟΥ
ΔΑΜΑΠΑΡΑΔΟΞΟΥ
ΚΑΙ ΚΑΝΔΙΔΙΑΣ ΒΑΣΣΗΣ
ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΕΠΙΤΕΛΗ
ΣΑΣΑΝ ΤΑ ΤΗΣ ΘΕΟΥ
ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΥ
ΣΙΑΣ ΛΑΜΠΡΩΣ ΚΑΙ
ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ
ΑΝΑΣΤΗΣΑΝΤΩΝ ΤΗΝ ΤΕΙ
ΜΗΝ ΑΝΔΡΩΝΕΙΚΟΥ ΤΟΥ ΑΝ
ΔΡΩΝΕΙΚΟΥ ΚΑΙ ΣΤΡΑΤΟΝΕΙ
ΚΗΣ ΤΗΣ ΜΗΝΟΓΕΝΟΥΣ
ΤΩΝ ΘΡΕΨΑΝΤΩΝ
ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ.

Ibidem quoque sepulchrali saxo cæteris eminentius erecto inscriptum erat, ΑΓΟΣ ΑΙΛΙΑΝΟΥ.

In officinæ *Alutarii* nuper memorati posticâ parte.

. . . ΞΕΝΩΝ . . . .
ΚΑΙ ΠΡΕΙΜΩΙΕ . . .
ΤΟΙΣ ΤΕΚΝΟΙΣ . . . .
ΚΑΙ ΟΥΑΛΕΡΙΩ ΟΥΑ
ΛΕΡΙΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΩ
ΡΩΜΑΙΚΩΙ.

Huic

Huic inſcriptioni appoſiti erant hi quatuor verſus Latini.

VOTA SUPERVACUA FLETUSQUE ET NUMINA DIVUM,
NATURAE LEGES FATORUMQUE ARCUIT ORDO
SPREVISTI PATREM MATREMQUE MISERRIME NATE,
ELYSIOS CAMPOS HABITANS ET PRATA VEATUM.

In angiportu non procul a flexu forum verſus ad Euroaquilonem.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ.
ΑΝΤ. ΚΛ. ΑΛΦ. ΑΡΙΓΝΩΤΟΝ ΤΟΝ ΚΡΑΤΙΣΤΩΝ
ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ΤΟΥ ΣΕΒ. ΑΡΧΗΣ ΛΕΙΒΙΑΝΗΣ
ΕΠΑΡΧΟΝ
ΕΙΛΗΣ ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΦΛ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΗΣ ΠΡΑΙ-
ΠΟΣΙΤΟΝ
ΕΙΛΗΣ . . ΤΑΛΑΡΙΩΝ ΧΙΛΙΑΡΧΟΝ
ΣΠΕΙΡΗΣ ΠΡΩΤΗΣ ΚΙΛΙΚΩΝ ΠΡΑΙΠΟΣΙΤΟΝ
ΤΗΣ ΣΠΕΙΡΗΣ ΠΡΩΤΗΣ ΓΑΙΤΟΥΛΩΝ ΕΠΑΡ-
ΧΟΝ
ΣΠΕΙΡΗΣ ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΦΛ. ΝΟΥΜΙΔΩΝ ΠΡΑΙ-
ΠΟΣΙΤΟΝ ΣΠΕΙΡΗΣ ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΦΛ. ΒΕΣΣΩΝ
ΣΠΕΙΡΗΣ ΑΝΝΩΝΗΣ ΘΕΟΥ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ
. . ΙΜΕΝΩΝ ΣΕΛΕΥΚΙΑΣ ΣΠΕΙΡΗΣ . . . ΕΑΡΩ
ΑΝΩΝ ΤΡΙΒΟΥ ΚΥΡΕΙΝΑ ΥΠΑΤΙΚΟΝ ΣΥΓ
ΓΕΝΗ ΤΙΟΝ ΚΑΙ ΕΓΓΟΝΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΩΝ ΑΣΙΑΣ
ΑΔΕΛΦΙΔΟΥΝ ΑΛΦ. ΑΠΟΛΛΙΝΑΡΙΟΥ ΕΠΙ ΚΗΝ
ΣΟΝ

ΣΟΝ ΤΟΥ ΣΕΒ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΟ ΤΑΤΗΣ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΛΟΓΙ ΣΤΗΝ ΣΕΛΕΥΚΕΙΑΣ ΠΕΙΣΙΔΙΑΣ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝ ΔΡΕΙΑΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΙΩΝ. ΚΑΙ ΡΩΣΣΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ... ΤΡΙΑΝΩΝ ΠΟΛΕΩΣ ΚΑΙ ΤΡΟΠΗΣΙΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ ΟΛΩΝΕΙΑΣ ΕΝ ΠΑΣΑΙΣ ΥΠΕΡΕ-ΣΙΑΙΣ ΤΡΑΣΙΩΝ ΚΑΙ ΣΕΜΝΟΤΑΤΟΝ ΙΕ-ΡΕΑ ΤΟΥ ΠΡΟ ΠΑΤΟΡΟΣ ΘΕΟΥ ΤΥΡΙΜ-ΝΟΥ.

ΟΙ ΒΑΦΕΙΣ.

Nolebam hanc inscriptionem, licèt imperfectam & mendis subindè interspersam, ob multa præclara non alicubi facilè reperienda, præsertim de Deo *Tyrimno*, qui ὁ Προπάτωρ appellatur, omittere. Quo tempore exscripsi, ut hoc in excusationem afferam, acerrimo capitis dolore ex intenso solis, qui meridianum propè attigerat, calore adeò misèrè cruciabar, ut in explorandis literis exesis & ad examen denuo revocandis moram longiorem facere planè nequiverim; neque eo redeundi aderat otium.

Duas sequentes inscriptiones, quas in marmoribus sibi invicem oppositis, antas portæ ædis suprà memoratæ suffulcientibus, incisas vidi, ab aliis, qui post me hanc urbem invisebant, exscriptas, in gratiam Philologorum hic quoque apponere placuit.

Ab una parte.

ΤΟΝ ΓΗΣ ΚΑΙ ΘΑ
ΛΑΣΣΗΣ ΔΕΣΠΟΤΗΝ

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΟΥΗΡΟΝ
ΑΝΤΟΝΕΙΝΟΝ ΠΑΡΘ. ΜΕ.
ΓΕΡ. ΜΕ. ΠΑΤΕΡΑ ΠΑΤΡΙΔΟΣ
ΕΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΠΟΛΕΩΣ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
Τ. ΑΝΤ. ΑΛΦΗΝΟΣ
ΑΡΙΓΝΩΤΟΣ ΤΟ
ΤΡΙΤΟΝ ΧΕΙΛΙΑΡΧΟΣ
Ο ΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ
ΚΑΙ ΝΕΩΚΟΡΟΣ
ΤΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΚΑΙ ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ ΣΕ
ΒΑΣΤΟΥ ΑΡΧΗΣ ΛΙ
ΒΙΑΝΗΣ.

Ab alterâ.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΟΥ.
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ
ΣΕΒ. ΕΥΣ. ΕΥΤΥΧΗ
Τ. ΑΝΤ. ΑΛΦΗΝΟΣ
ΑΡΙΓΝΩΤΟΣ ΑΠΟ
ΤΡΙΩΝ ΧΙΛΙΑΡΧΙΩΝ
ΤΟΝ ΙΔΙΟΝ ΚΥΡΙΟΝ
ΚΑΙ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ
ΚΤΙΣΤΗΝ Ο ΙΕΡΕΥΣ
ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΚΑΙ ΝΕΩ.

Urbs hæc ingenti aquæ beneficio gaudet, ob quam nitidiſſima foret, ſi à *Turcis* non incoleretur. Illa enim per ſingulas plateas fluit, à vicino monte ad Orientem ſcaturiens, & inde per ter mille & ultra

ultra tubulos, si *Turcis* id asserentibus credendum sit, derivata. Civibus abundat *Turcis*, qui hic octo numerant *Moscheas*, cum ne una quidem ecclesia *Christiana*, quantum memini, illic reperiatur. Pauci enim ex incolis sunt *Christiani*: interdum autem huc venire solent *Armeni*, strophiola aliasque merces *Turcis* venditurі. Adhuc celebris est ob gossipii mercaturam, quod hinc *Smyrnam* fertur, in orbem *Christianum* navibus avehendum.

Octavo die, cùm à *Thyatiris* versùs Austrum uno milliari aberamus, in planitie monimentum quoddam à longe vidi; quale esset, vellem quidem intueri, ideò propiùs accessi, & sandapilam esse lapideam reperi cum hac epigraphe:

ΤΟΝ ΓΗΣ ΚΑΙ ΘΑΛΑΣ
ΣΗΣ ΔΕΣΠΟΤΗΝ ΑΥ
ΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑ
ΡΑ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΥΗΡΟΝ
ΑΝΤΩΝΙΝΟΝ ΕΥΣΕ
ΒΗ ΣΕΒΑΣ .....
..... Η ΔΙΟΝ *ΙΑ
ΟΙ ΚΕΡΑΜΕΙΣ.

Trajectis duobus à se invicem ad mille passus dissitis fluentis, quæ ab eadem scaturigine, uti verisimile est, orta, versùs Occidentem decurrentia, planitiem interluunt, ad pagum *Selinte kui* pervenimus: huc illuc dispersa jacuerunt quàm plurima politissimi marmoris fragmenta aliaque

* *h. e.* ΙΑΡΤΣΑΝ *posuerunt. Malè additur I in Appendice ad Marmora* Oxonienſia, *quasi esset* ΙΔΙΟΙ.

rudera, quæ nobis fidem fecêre, licèt ea curiosiùs rimari præ festinatione non licuerit, veteres *Græcos* hic olim sedem habuisse. Placuit situs, qui valdè commodus videtur, cùm nec ab eo longè distet rapidus amnis, aquas in *Hermum* effundens, quem nescio an *Halyn*, *Crœso* hujus provinciæ Regi adeò fatalem, an potiùs *Cryonem* dicerem. Post sex horas superato colle, qui lenitèr assurgit, *Marmoram*, fortassè *Exustam* Veterum, oppidum perquàm venustum, & *Moscheis* & Collegio Monachorum ornatum, ingredimur. Non longè distat *stagnum Gigæum*, dictum etiam *Coloum*, ab Oriente ad Occidentem spatio quinque milliarium, uti mihi videbatur, in longum protensum: prope quod, ut innuit *Herodotus*, stetit olim magnificum illud *Alyattis* parentis *Crœsi* sepulchrum. Hinc ad planitiem *Magnesiæ* ventum erat, insignissimæ illius pugnæ inter *Scipionem Asiaticum* & Regem *Antiochum* initæ scenam; cujus victoriæ tota *Asia minor* pretium erat, cæteris provinciis postea facilè debellatis, aut *Romanæ* magnitudini, cui resisti non posse hoc fatali bello demonstratum erat, sponte cedentibus.

Magnesia autem in monte *Sipylo*, qui *Ioniam* à *Lydia* ad Orientem disjungit, sita est, olim *Bassæ* sedes, jam *Moselimum*, id est gubernatorem quendam, dignitate & potestate *Bassæ* proximum habet, cui totius provinciæ cura committitur.

Relictis à dextra montibus *Mastusia* & *Sipylo*, ad oppositum planitiei latus, *Tmolo* monte, quem *Boz dàg*, id est *glacialem*, appellitant *Turcæ*, clausum, trajecto per pontem lapideum *Hermo*, tendeba-

debamus. Tandem cum viculum *Jarash kui* duobus milliaribus à *Sardibus* distantem pertransiissemus, post undecim horarum iter *Sardes*, quæ triginta tribus milliaribus à *Thyatiris* versùs Austrum distant, attigimus.

Sardes, quarum nomen adhuc retinetur, à *Turcis* nuncupatæ *Sart*, in latere celeberrimi montis *Tmoli* versùs Septentrionem sitæ sunt: urbi prætenditur ampla & jucundissima planities, *Pactolo* ad Eurum, aliisque aquarum fluentis à vicino monte versùs Euronotum scaturientibus, quæ in *Hermum* cadunt, irrigua. Hic primo intuitu subibat animum, quantum vetustas valuisset, quantum terræ motus, quantum belli furor, sed præcipuè quantum ira Numinis, quæ hasce intulit clades. Triste erat spectaculum, nec tantæ urbis ruinis illachrymari puduit. *Sardes* in *Sardibus* quærebamus. Viculus enim hodie ignobilis est, ædes angustæ & humiles, sine splendore, sine ornatu: nec alios ferè incolas habet præter pastores & bubulcos, qui gregum & armentorum in planitie depascentium curam agunt. Cum verò *Persicæ Caravanæ* serico aliisque mercibus onustæ *Smyrnam*, celebre Orientis emporium, petituræ, *Sardes* attingant, hic exstructum est publicum quoddam hospitium, istis recipiendis, & à frigoris, ventorum, ac pluviæ violentia defendendis destinatum. Sanè magnam apud *Turcas* famam acquirunt, qui istiusmodi ædes condunt, aut fontes in publicas vias derivant deducuntque, quò peregrinantibus subveniatur. Inter opera pia, quæ animæ cedunt in bonum, numerantur, licèt quandoque *Bassa-*

rum alia mens, aliud propositum: nimirum ad amoliendam invidiam, ne nimium severa in ipsos, qui tantas opes congessêre, fiat inquisitio. Ab hujusmodi hospitiis planè abhorruimus; omnia illic palam fiunt, omnes sub eodem tecto hospitantur; stabulantur quoque illic equi & cameli una cum dominis; ideo, si optio daretur, in equilibus privatarum ædium pernoctare nobis magis commodum videbatur, quàm hæc tecta subire. Sed *Sardibus* non contigit hæc felicitas, barbaris & superstitiosis incolis nos in ædes suas recipere planè renuentibus.

In Australi urbis regione ingentes exstant ruinæ; quibus visis, facilè in animo concipiebamus, quàm magnifica olim fuerit, quàm splendida & superba, antequam everteretur. Sex illic columnæ eminent, triginta circitèr pedes altæ; propè, humi jacent confusi ingentium saxorum aggeres, quæ columnas alias hodie dejectas & disruptas constituebant, alio in integris columnis alii superimposito ac tam arctè coagmentato, ut ne commissura quidem appareat.

Hinc arcem, quæ ab Oriente est, adscendimus, magno quidem cum labore; mons enim prælatus est & præruptus, multisque in locis ferè præceps ad perpendiculum, unde longis circuitionibus opus erat. Hanc, modò integra maneret, si hujus ævi inventa bellica spectemus, facile subrui potuisse credimus, cum terræ, nec admodum firmæ, subfusci coloris, innitatur, licèt forte superioribus seculis, quæ prodigiosa pulveris pyrii vis latuit, & quibus nullæ machinæ in usu erant præter ba-

listas

listas & arietes, planè insuperabilis censeretur. Muri adhuc durant, una cum quibusdam cameris arcuatis. Prope aditum à sinistra in muro hanc epigraphen legi:

Ω ΠΑΝΑΡΙΣΤΕ ΒΟΚΟΝΤΙΕ
ΣΑΙΣ ΑΤΕΛΕΣΤΟΝ
ΕΡΓΟΝ ΕΟΙ ΠΡΑΠΙΣΙΝ
ΤΟΙΑ ΠΟΝΗΣΑΜΕΝΩ.

Fortè vocabulum ab *Anaglypte* omissum erat, ad complendum tum sensum, tum versiculum, necessariò requisitum; uterque enim mancus videtur.

Intra arcis aream super capitulum columnæ:

† ΦΙΑΗ ΤΙΜΩΑΙΣ ΕΤΕΙΜΗ
ΣΕΝ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΤΙΒΕ
ΡΙΟΝ ΚΑΙΣ

Satis notum est ex *Strabone*, quàm benè de hac urbe terræ motu penè dirutâ *Tiberius* Imperator meritus fuerit, in cujus benevolentiæ memoriam hanc columnam ipsi dedicatam fuisse par est quod credamus.

Ad Orientem, ecclesiæ cathedralis, ut videbatur, ruinas luximus. Prope quas sunt ingentis ædificii reliquiæ, circuitu suo grande spatium occupantes, muris longùm excurrentibus nondum dirutis. Quale esset, an Præfecti palatium, an judiciale forum, an denique curia municipalis, omnino incertum est, & planè pudet hariolari: longo quidem tractu rudera conspeximus, quæ de-

† *Fortè* ΦΥΛΗ, Tribus Timolensis: *sed credo me rectè exscripsisse.*

monstrant satis, hanc esse præcipuam urbis regionem, ædibusque olim refertissimam.

In hanc autem ingentem ruderum struem huc illuc exspatiando incidi. Monimentorum maxima pars erat mutilata humique jacebat: in quorum uno exstabat *decretum Imperatoris Trajani* de quinquennalibus agonibus in ista urbe instituendi ad instantiam *Auli Julii Lafariani* ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΤΗΣ ΤΥΜΝΑΣΙΑΡΧΙΑΣ.

ΕΨΗΦΙΣΑΜΕΝΑ ΤΑΧΕΙΟΝ
ΑΓΩΝΑ ΠΕΝΤΑΕΤΗ.

Inque eodem *Hadrianus* Cæsar appellatur ΝΕΟΣ ΔΙΟΝΥΣΟΣ. Sed mihi maximè dolebat nobilem hanc epigraphen non potuisse exscribi.

In altero legi inter alia

ΕΞΩΡΙΣΘΕΝΤΩΝ ΑΝΟΣΙΩΝ
ΚΑΤΑ ΤΩΝ ΕΛΛΗΝΩΝ ΠΑΡΑ
ΤΗΝ ΥΠΕΡΕΧΟΥΣΑΝ ΤΟΥ ΕΝΔΟΞΟΤΑΤΟΥ
ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΣΤΟΥ.

Cætera marmora levi oculo percurrebam, in quibus exscribendis major esset impendendus labor, quàm breviculum illud tempus, quo *Sardibus* mansi, siverit. Alii, quod spero & opto, erunt fortasse longè hac ex parte nobis feliciores.

Sequens autem inscriptio est, nisi quod * de numeralibus notis tribunitiæ potestatis aliquantillum dubitari possit, an rectè statuantur.

* *Vide præclarissimum* Reinesii Inscriptionum antiquarum Syntagma, *in quo hæc inscriptio quoque reperitur*: *pag.* 334. *uti & altera nobilissima, honori & memoriæ* Tiberii Claudii Juliani *à Senatu populoque* Sardiano *dedicata*: *pag.* 508. *quam, uti & priorem, e* Schedis *V. Cl.* Lucæ Langermanni Hamburgensis *hausit.*

AY-

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΘΕΟΥ
ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΥΙΟΝ ΘΕΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ
ΥΙΩΝΟΝ Τ. ΑΙΛΙΟΝ ΑΔΡΙΑΝΟΝ
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ ΕΥΣΕΒΗ ΣΕΒΑΣΤΟΝ,
ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ *Β. ΥΠΑΤΟΝ
ΤΡΙΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΠΑΤΡΙΔΟΣ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΤΩΝ
ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ ΗΡΩΑ
ΕΥΝΟΙΑΣ ΑΥΤΟΥ ΧΑΡΙΝ.

Turcæ urficam habent *Moſcheam*, pulchram quidem, olim *Chriſtianorum* templum, cujus propylæum columnis affabrè politis ornatum eſt. Pauci admodum hic reperiuntur *Chriſtiani*, ingenti patientiâ, vel potiùs ſtupidè ac ſine ſenſu, miſeram ſervitutem ſuſtinentes; ſed quod longè miſerius eſt, abſque eccleſiâ, abſque ſacerdote. En deplorandum urbis quondam glorioſiſſimæ ſtatum! Ad congeriem caſularum redacta eſt *Lydiæ* urbs primaria, & ſedes metropolitica deſtituitur eccleſiola.

Decimo die, relictis *Sardibus*, iter *Philadelphiam* verſùs proſequimur, fluentis quibuſdam à *Tmolo* ortis, quæ uberem & fœcundam reddunt planitiem, ſubinde trajectis. In planitie ſecus viam publicam octodecim circitèr à *Sardibus* milliaribus, ubi ſaxa confuſa jacuêre, marmor quoddam cum hac epigraphe reperi:

ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΙΜΕΙΛΙΟΝ ΤΟΝ
ΑΞΙΟΛΟΓΩΤΑΤΟΝ ΑΣΙΑΡΧΗΝ

* *Forte* IB.

Tandem post iter novem horarum illic pervenimus.

Philadelphia à *Sardibus* ad Euronotum viginti septem milliaribus aut circiter distat, in radice montis *Tmoli* sita : cujus ædes ob clivum, qui leniter assurgit, pendulæ videntur, unde ferè ab omni parte in planitiem subjectam versùs Septentrionem & Orientem prospicere licet. Hodie à *Turcis* nuncupatur *Alah Shahr*, sive *pulchra urbs*, nempe ob hunc situm commodissimum : nihil enim aliud, quod pulchrum aut magnificum est, jam reperiri potest, nihil quod tale nomen meritò indat. Olim triplici murorum ordine versùs planitiem, cùm ab altera parte mons pro munimento fuerit, munita, quorum intimus adhuc manet, non integer quidem, (utpote hic illic dirutus) cui inædificantur turres. Non hisce munitionibus tantum, quantum propriâ fortitudine confisi *Philadelpheni* atrociſſimos *Orchanis* & *Amuratis* impetus repulêre, eo tempore, quo tota *Asia minor* militaribus *Ottomanorum* copiis, hâc urbe exceptâ, in prædam & ludibrium cessit. Non ipsos moverunt frequentes illorum victoriæ, non minæ : libertas vitâ longè charior videbatur, quam tantâ vi, tanto furore oppugnatam, non minùs viriliter & furiosè vindicabant. Sola *Philadelphia* invicta erat, sola, quæ eorum victorias sufflaminavit. Sed fato non obsistitur ; alitèr his civibus salva & defensa fuisset. Puduit *Bayazidem* (quem *Turcæ Yilderim*, id est *fulmen*, *Græci* κεραυνὸν nuncupant) illam nondum triumphatam esse : ideò urbem numeroso exercitu cingit, injuriam illius armis hucusque

usque victricibus quasi factam vindicaturus. Omne auxilium miseris civibus præterclusum erat, & salus à solâ desperatione quærenda. Irruunt in castra barbarorum hostium, sed incassum; cadunt, licèt non inulti. Tandem expugnatur succumbitque *Philadelphia*, prædamque captat *Bayazides*, cui inhiârunt pater & avus, elusi. Cives ab effero & irato Tyranno extrema passos fuisse credibile est. Sola conjectura est, quam jam profero, hujus stragis, cujus ille author erat, vestigia adhuc restare. Ad mille enim quingentos ab urbe passus versùs Austrum crassum murum ex ossibus humanis cum lapidibus gypso confusim permistis consistentem vidi; illum hoc iræ suæ in obstinatos hosce cives monimentum erexisse verisimile mihi videtur: mihi enim penè constat, facinus adeò horrendum & ab omni humanitate prorsus alienum, non nisi à *Turcis* perpetrari potuisse.

Post obsidionem adeò arctam longamque, neutiquam mirandum videbitur, si pauca antiquitatis monimenta supersint, eidem cladi pariter obnoxia. Marmora quædam vidi characteribus insignita, sed ea aut deorsum fracta, & excisis literis deformata, aut, si in parietibus ædium integra manerent, inversa. In cœmeterio quodam *Græcorum* hexastichon hoc saxo sepulchrali incisum reperi.

ΞΑΝΘΙΠΠΗΝ ΑΚΥΛΑ ΜΝΗΜΗ ΒΙΟΤΟΥ ΠΑ-
ΡΕΔΩΚΕΝ
ΒΩΜΩ ΤΕΙΜΗΣΑΣ ΣΕΜΝΟΤΑΤΗΝ ΑΛΟ-
ΧΟΝ

ΠΑ-

ΠΑΡΘΕΝΟΣ ΗΣ ΑΠΕΛΥΣΕ ΜΙΤΡΗΝ ΗΣ
ΩΡΙΟΝ ΑΝΘΟΣ
ΕΣΧΕΝ ΕΝ ΗΜΙΤΕΛΕΙ ΠΑΥΣΑΜΕΝΟΝ
ΘΑΛΑΜΟΙ
ΤΡΕΙΣ ΓΑΡ ΕΠ ΕΙΚΟΣΙΟΥΣ ΤΕΛΕΩΣΕ ΒΙΩΣ
ΕΝΙΑΥΤΟΥΣ
ΚΑΙ ΜΕΤΑ ΤΟΥΣ ΔΕ ΘΑΝΕΝ ΤΟΥΤΟ ΛΙ-
ΠΟΥΣΑ ΦΑΟΣ.

Nobis maximè displicuit hæc rudera intueri; sed in barbariem *Turcicam* planè excandescebamus, dum ad *Sancti Johannis* ecclesiam ad Euronotum, urbis olim, uti amplitudo ipsius penè demonstrat, cathedralem, jam sterquilinium factam, nos convertimus: in quam purgamenta conjiciunt impuri *Turcæ*. Cæteræ etiam aut penitus everſæ, aut in *Moſcheas* converſæ ſunt. Ad Auſtrum fluit amnis, à monte ortus. Colliculi vineis, quas colunt *Græci*, conſiti ſunt, ſed à vino conficiendo, autumno proximè elapſo, abſtinuerunt, edicto Imperatoris, quo vetitum erat, territi, ut, prout mihi narravit *Græcus Pappas* ſeu ſacerdos, ad ſacros euchariſtiæ uſus vix ipſis ſuppeteret. Neſcio an dicerem cum poſteris eorum, qui in defendendâ *Chriſtianâ* religione mortem adeò fortiter oppetiêre, ideò melius actum eſſe; hi enim quatuor eccleſias, quæ τ῀ παναγίας, ſeu *Sanctiſſimæ Virginis*, *S. Georgii*, magnæ apud *Chriſtianos* Orientales famæ, *S. Theodori*, & *Tuxiarchi*, hoc eſt *S. Michaëlis* Archangeli (illum enim ita nuncupant) nominibus inſigniuntur, hic habent, unde eorum numerum neque parvum neque contemnen-

temnendum esse quis facilè censeat. Ducentas enim *Christianorum* familias illic supersesse didici. *Turcis* quoque referta est urbs, in quibus quingenti *Janizzarii* numerantur, ita ut *Philadelphia* proximo post *Smyrnam* loco, tum civium copiâ, tum commercio, cùm hâc viâ turmæ Mercatorum, quas *Caravanas* appellant, versùs *Persidem* eant, & inde revertantur, recensèri mereatur.

Duodecimo, post tres horas amnem *Cogamum* pleno aquarum decursu, angusto licèt in canali, à *Tmolo* labentem trajecimus: deinde montem illum relictâ planitie adscendimus, viâ quidem præcipiti & saxeâ: densis pinorum & abietum sylvis utrumque latus & jugum obtegentibus. E quibus egressi, in radice oppositæ partis apud viculum *Kosh Yenige kui* dictum pernoctavimus, duodecim horarum itinere fessi.

Decimo tertio die. Ferè ad quingentos abhinc passus ad sinistram exstant ingentia saxa aggeratim congesta, urbis antiquæ, forsan *Tripoleos*, quam non longè ab *Hierapoli* esse memorant veteres scriptores, rudera: prope quam tortuosus ille *Mæander* decurrit, quem, non sine difficultate, vadis tandem repertis, trajecimus. Spatio deinde quatuor horarum attigimus *Hierapolin*.

Hierapolis, hodiè à *Turcis Pambuk Kulasi*, id est *gossipina turris*, dicta, ob rupium clivos, qui à longè instar gossipii candicant, urbs *majoris Phrygiæ*, sub excelso monte ad Septentrionem conditur, *Laodiceæ* ad Austrum ex adverso opposita, planitie quinque circiter mille passus latâ intercedente, quam interluit *Lycus*, *Laodiceam* tamen propiùs attingens:

gens : ſitu, ut videtur, perquàm incommodo, ac ob nimium ſolis calorem, cui tota patet, infeſto & inſalubri. Sed hoc quicquid eſt incommodi abunde penſatum eſt aquis calidis, quibus ſuam debet magnificentiam *Hierapolis*, & quarum gratiâ tantam celebritatem olim adepta eſt. Balneum illud, unde ſcaturiunt, marmore candido ſtratum eſt, in quod columnæ, quæ id olim circumambiebant, conjiciuntur. Aquæ autem continuo fluxu quoſdam canaliculos ſibi excavavêre, quibus ſupergreſſæ, albicantis terræ ſuperficiem in tophum maximè friabilem convertunt. Jam penitùs everſa eſt, incoliſque deſtituta, cujus tamen ruinæ illam magnificentiam & gloriam præ ſe adhuc ferunt, ut, dum eas circumſpicerem, neſcio an mentem meam major invaſerit horror an admiratio. Lugebam quoque hujus admirandæ urbis verè flebilem & miſerandam ſortem; tot templa intercidiſſe mihi doluit, quorum parietinæ adhuc durant; ubique erant altaria, fornices, & columnæ priſtinum ſplendorem & gloriam retinentes, palatiorum aliarumque inſigniſſimarum ædium appendices, ut inter præcipuas non ſolius Orientis, ſed totius mundi urbes recenſeri, dum ſtaret, mereretur. Nomen verò *Sacræ Urbis* fortè ipſi impoſitum erat, tum ob numerum fanorum, quibus, magnis expenſis & longè majori curâ & arte exſtructis, olim ſuperbiebat, tum ob aquas, quibus vim ſalutarem & medicinalem ineſſe crediderunt. Quâ de cauſâ *Apollinem* hic olim præcipuè cultum fuiſſe vero quàm maximè proximum eſt. In amphitheatro, cujus ambitus ampliſſimus eſt, neç minoris

noris profunditatis, (numeravi enim illic gradus saxeos ultra quadraginta) inter descendendum in quoddam politissimi marmoris fragmentum affabrè elaboratum, olim, ni fallor, portæ ornamentum, incidi, cui inscriptum erat, ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΓ. Juxta aream duæ caveæ, in quibus feræ includebantur, ex adverso positæ adhuc supersunt.

In muro amphitheatri versus inscriptos hic pono:

ΑΣΙΔΟΣ ΕΥΡΩΠΗΣ ΠΡΟΦΕΡΕΣΤΑΤΟΝ ΟΥΔΑΣ ΑΠΑΝΤΩΝ

ΧΑΙΡΟΙΣ ΧΡΥΣΟΠΟΛΙ ΙΕΡΑΠΟΛΙ ΠΟΤΝΙΑ ΝΥΜΦΩΝ

ΝΑΜΑΣΙΝ ΑΓΛΑΙΗΣ ΚΕΚΑΣΜΕΝΗ . . . . .

Ex sepulchris quædam adhuc supersunt, planè *Mausolea*, integra quidem & illæsa, quasi mortuis parcendum esse inter tot clades, quas urbs passa est, lex naturalis vel efferis hostibus jusserit, eorumque monimenta demoliri planè sacrilegum esse videretur. Horum aliquibus superincumbunt saxa ingentia in cubos efformata, alia instar suggrundiorum ab utraque parte propendentia. Inscriptionibus propemodum omnia insignita erant, quarum aliquæ tot lineis, iisque valdè in longum protensis, constant, ut non epitaphium, sed historiolam continere videantur. Sed hic, ubi etiam sub dio pernoctare vellem, non licuit morari: nobis enim relatum erat, famosum latronem, *Inge Morad* dictum, cum viginti duobus sicariis, quibus præfuit, illâc nuperrimè præteriisse, & propè adhuc morari. Ideò ne curiositati vitam post-

posuisse

posuisse videremur, *Hierapolin* mœsti reliquimus. Dum verò monimenta adspicio, hasce quatuor inscriptiones, utpote breves, properante calamo exscribo.

1.

Ο ΒΩΜΟΣ ΚΑΙ ΑΙ ΣΩΡΟΙ
ΑΙΛ ΠΑΙΤΟΥ ΑΥΡΗΛΙΑΝΟΥ.

2.

ΤΟΥΤΟ ΤΟ ΗΡΩΟΝ
ΣΤΕΦΑΝΟ
Η ΕΡΓΑΣΙΑ
ΤΩΝ ΒΑΦΕΩΝ.

3.

ΦΛΑΟΥΙΟΣ ΖΕΥΞΙΣ ΕΡΓΑΣΤΗΣ
ΠΛΕΥΣΑΣ ΥΠΕΡ ΜΑΛΕΟΝ ΕΙΣ Ι
ΤΑΛΙΑΝ * ΠΛΟΑΣ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ
ΔΥΟ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ΤΟ ΜΝΗΜΕΙ
ΟΝ ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΤΕΚΝΟΙΣ ΦΛΑ
ΟΥΙΩ ΘΕΟΔΩΡΩ ΚΑΙ ΦΛΑΟΥΙΩ
ΘΕΥΔΑ ΚΑΙ Ω ΑΝ ΕΚΕΙΝΟΙ
ΣΥΝΧΩΡΗΣΩΣΙΝ.

4.

ΔΙΟΝ ΕΠΑΙΝΕΤΟΝ ΦΛΑΟΥΙΑΝΟΝ
ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ ΤΟΥ ΕΡ-
ΜΙΠΠΟΥ ΑΤΤΑΛΟΥ ΤΟΥ
ΜΗΝΕΣΘΕΟΣ.

* *Male interpretatur* Sponius, avec 72 bâtimens, *cum reddi oportuerit, illum septuagies & bis in* Italiam *juxta sive prater famosum illud naufragii promontorium navigasse.*

Tri-

Tribus post horis trajecto *Lyco*, & superato quodam monte, in planitie oleis, amygdalis, & ficubus tectâ viculum ignobilem, quem ante sesquihoram reliquerant scelestissimi latrones, attigimus. Hic nobis erat manendum, cum *Colossas*, licèt non nisi quatuor mille passûs dissitas, petere vix esset tutum.

Decimo quarto die, *Colossas*, à *Turcis Chonos* dictas, in clivo montis scansu perquàm difficilis sitas ingredimur, sed tantummodo ad exeundum. Hic enim ab iisdem latronibus quàm maximè periclitabamur, nec minus à civibus, qui atroci in *Christianos* Occidentales odio flagrabant: apud quos reperiuntur pauci è gente *Græcorum*, qui inter tot opprobria ac calamitates, quibus obnoxii sunt, adhuc fidem *Christianam* profitentur: nulla apud ipsos est ecclesia, nullus sacerdos, qui liturgica prælegat, & sacramentum eucharistiæ celebret. *Græcæ* linguæ penitùs obliti miserrimi *Colossenses*, *Turcicè* in familiari sermone loquuntur. Inter eundum nobis occurrebat tercentum equitum *Turcicorum* turma, quorum ductor erat *Vaivoda* seu Præfectus *Dinghilsleiæ*; *Dinghilsleiæ* autem oppidum est nitidum & amplum quater mille passûs à *Laodiceâ* ad Austrum dissitum. Hi sicarios, qui totam hanc provinciam suis deprædationibus infestârant, insequebantur. Tandem spatio ferè septem horarum *Laodiceam*, quam *Colossæ* ad Occidentem habent, pervenimus, prope cujus ruinas ad Boream in pago, cui nomen est *Congeleh*, hospitabamur.

Laodicea, hodie à *Turcis* dicta *Eski Hisar*, id est

Vetus Castrum, urbs *Lydiæ*, super sex septemve colles posita est, qui circulum, cujus perimeter ingens terræ spatium occupat, quasi conficere videntur. Ad mille quingentos passus versus Boream & Boreapeliotem dilabitur *Lycus*, latera verò urbis alluunt duo fluenta, *Æsopus* & *Caper*, alterum ad Occidentem, ad Euronotum alterum, quæ in *Lycum* cadunt, uti *Lycus* in *Mæandrum*. A nemine jam habitatur, nisi quod hîc noctu lupi, vulpes, & alopecidæ prædam investigatum eant. Quàm misera & deserta jacet *Laodicea*, quæ tot palatiis olim tumebat! Sola enim hodie supersunt rudera, quæ tamen eam testantur celeberrimæ urbis, uti olim tempore *Plinii*, nomen meruisse. E tribus theatris & circo magnitudinem & gloriam ipsius colligere licet; ex illis unum est planè admirandum, cujus aditus est ab Euroaquilone, hominum supra triginta millia capax, ad cujus aream quinquaginta gradibus descenditur; hic verò viginti duos gradus, qui adhuc integri manent, habet. Stadium hoc *Laodicenum* moderatis passibus ab extremo ad extremum perambulavi, quos dum ad pedes reduco, hoc nimirum modulo, ut quatuordecim passus triginta pedibus sint æquales, quod in viridario *S. Jacobi* expertus sum, exsurgit iste numerus septingentorum viginti novem præter propter pedum, quem à me acceptum in libro *de mensuris & ponderibus antiquis* vir optimus & eruditissimus, amicus meus integerrimus, *D. Bernardus*, Astronomiæ Exprofessor *Oxonienſis*, adnotavit. Sed cum rotundus ille numerus sit justo paulo minor, (neque enim superfluas minutias ve-

na-

nabar) & greſſus mei interdum ſint citatiores, interdum remiſſiores, non eſt, quod quiſquam iſtam illic memoratam in longum extenſionem, cui ipſe multum diffido, quaſi accuratam habeat: tercentum & quadraginta paſſus longus: in cujus extremo ſpecus eſt, in quo feræ aſſervabantur, pulchra fornice ornatus, cui inerat hæc epigraphe:

ΠΤΩΙ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩΙ
ΥΠΑΤΩ ΤΟ Ζ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΟΥΕΣ-
ΠΑΣΙΑ
ΝΟΥ ΥΙΩΙ ΚΑΙ ΤΩ ΔΗΜΩΙ ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ
ΛΥΚΙΟΥ ΤΟΥ ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΥ ΤΟΥΤΟΝ
ΑΙΘΟΝ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΤΑ ΠΡΟΣ
ΛΕΙΨΑΝΤΑ ΤΟΥ ΕΡΓΟΥ ΤΕΛΕΙΩΣΑΝΤΟΣ
ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΥ
ΚΛΗΡΟΝΟΜΟΥ ΑΥΤΟΥ ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝΤΟΣ
ΔΕ ΤΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΤΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ.

Ad Euronotum rudera propugnaculi, uti videbatur, & aquæductûs, cujus canalis in ſaxis ſolidiſſimis cæditur & excavatur, vidimus, ut & columnarum baſes, quæ duplici ſerie ab Euroauſtro ad Boreazephyrum, & ab Euroaquilone ad Notozephyrum extendebantur, quas porticum ſive ambulacrum olim conſtituiſſe pluſquam veriſimile eſt. Ampliſſimæ eccleſiæ ad Occidentem muri nobis demonſtrârunt, veteres *Chriſtianos* nullis ſumptibus in fabricandis ædibus religioſo cultui dicatis peperciſſe, prope quam exſtant tres pulcherrimi fornices, & paulo magis ad Auſtrum duo alii. Epiſtylio columnæ hos verſus inciſos reperi:

ΔΟΚΤΙΚΙΟΥ ΜΟΡΦΗΣ ΝΕΧΩ ΤΥΠΟΝ ΕΙΚΟΝΑ ΔΑΥΤΕ
ΘΕΣΠΕΣΙΗΣ ΑΡΕΤΗΣ ΦΟΡΕΕΙ ΣΤΟΜΑ ΦΩΤΟΣ ΕΚΑΣΤΟΥ
ΤΙΣ ΤΟΔΕ ΚΑΛΟΝ ΑΓΑΛΜΑ ΤΙΝΟΣ ΧΑΡΙΝ Η ΤΙΝΙ ΦΩΤΩΝ
Η ΠΟΛΙΣ ΑΝΤ ΑΓΑΘΩΝ ΔΟΚΤΙΚΙΩ ΜΕΓΑΛΩ.

Dum enim oculos diligenti indagine circumcirca conjicio, characteres pauculi situ obsiti & penè detriti obversantur, quos, postquam chartâ madidâ detersissem, facilè legi, pro compertissimo habens, unum, si non plures versiculos subtus terram depressos supereſſe. Hanc ergo, *Janizzario* in subsidium vocato, statim effodi, scorpione, qui propè delituit, non antea conspecto: quâ amotâ, (neque enim aut aer aut pluvia illam penetraverat) sequentes versiculi tanto nitore splendebant, ac si non ante septennium fuissent scalpro exarati.

In fragmento candidi marmoris, ΑΛΚΕΡΔΩΤΟΣ ΠΟΜΠΩ.

Decimo sexto die post solis occasum, illucescente lunâ, *Laodiceam* reliquimus: mediâ nocte aerem crasso fumo obfuscatum non sine stupore vidimus, quasi sylvæ conflagrassent: sed ecce! dum ad pedem collis è latere montis altissimi descendimus, fons ebulliens aquas ferventissimas, prout digito in eas immisso expertus sum, evomuit, tanto autem cum æstu, ac si ingens ignis

iis

iis supponeretur. Hinc ferè ad quingentos passus *Mæandrum* iterum trajecimus, ponte ligneo ipsi superimposito, in *regionem Eumeneticam* & *campos Bargylleticos* transeuntes. Hic non sine summâ delectatione varios *Mæandri* flexus obliquosque cursus observavimus, ripis ejus ferè decem horis insistentes. Tandem oppidum *Nozli*, ubi pernoctandum erat, pervenimus, itinere ferè septendecim horarum penè confecti. Hic valetudinis reparandæ & confirmandæ causâ ferè per biduum mansimus.

Decimo octavo, novem abhinc milliaribus vicum *Tekekui* pertransiimus, à quo ferè ad ducentos passus, & à *Mæandro* octingentos distant à dextrâ *Tralles*, hodiè à *Turcis Sultan Hisar*, id est *Imperatoris Castrum*, nuncupatæ, olim urbs celebris, & in primo *Christianismi* ævo Episcopi sedes, ad cujus cives, uti ad *Magnesianos*, epistolam scripsit pientissimus ille Martyr *S. Ignatius Antiochenus*. Ingentia rudera in colle quodam jacent ad Boream, inter quem & oppositum montem intercedit pulcherrima planities: longo tractu erant alia ecclesiarum, aquæductûs, propugnaculi rudera, quibus lustrandis non licuit immorari. Ex quo enim *Hierapoli* discesseramus, fuga erat potiùs quàm iter. Tandem post octo horas *Guzel Hisar* pervenimus.

Guzel Hisar nomen suum, id est *Pulchrum Castrum*, meretur, (quo nomine plura loca cohonestare *Turcis* libet) utpote oppidum *Moscheis* ornatum, & muris portisque munitum, splendorem vero maximum ab antiquis ædibus & columnis

mutuatur. Mihi videtur esse *Magnesia* ad *Mæandrum*, (quo epitheto ab alterâ *Magnesiâ*, quam ad *Sipylum* esse supra memoravi, discriminatur) à *Trallibus* sexdecim milliaribus dissita. Hinc stamina ex gossypio neta *Smyrnam* deferuntur. Iter hoc die ferè ad Occidentem direximus, quibusdam fluentis in *Mæandrum* cadentibus subinde trajectis.

Decimo nono, hinc ad *Gherme-anle* sex horarum iter erat ferè versus Boreazephyrum.

Vicesimo, paulò ad Boream declinavimus, usquedum de jugo montis, unde insulam *Samum* ad Boreazephyrum conspexeramus, descenderetur versus *Ephesum*, ad cujus radicem amplus erigitur aquæductus longâ & pulcherrimâ epigraphe insignitus, quam exscribere per festinationem neutiquam licebat; cui respondet alter *Ephesinus* ad Orientem, magnificentiæ priorum seculorum insigne, quem tres fornices infra, supra verò quinque sustinent. Paulò ab urbe distat, quam post iter diurnum octo horarum ingrediebamur.

Ephesus, à *Turcis Aiasalik* dicta, olim *Lydiana Asiæ* metropolis, & *Romani Proconsulis* sedes, (utpote omnium civitatum, quæ ejus ditioni subjacebant, longe præcipua) florentibus ac prosperis *Græcorum* & *Romanorum* rebus non tam celebris, quàm hodie infelix & miseranda est; planè sordet, casulis & gurgustiis deformata, non civitas, sed vicus, licèt ob rudera venerabilis. *Caystro* ad Boream irrigua, à *Smyrnâ* quadraginta sex milliaribus versus Notapeliotem distat, in extremâ planitie, quæ myricis adeò in altum excrescentibus luxu-

luxuriatur, ut hominem equo vectum; uti fertur, (neque enim illâ tempestate anni id observare potui) facilè abscondant: ad radices duorum montium sita est, quos disjungit planities ferè tercentum passuum: horum alter ad Notapeliotem modicum excurrit, alter ad Austrum longiùs exporrigitur, in cujus jugo longo tractu supersunt reliquiæ muri, qui urbi, ne oppugnaretur illac, viam præcluſit, quibusdam cryptis longo ordine in ejus acclivitate effossis. Sub hoc monte præcipuas urbis regiones sitas esse ex ruderibus liquet, licèt in latere alterius non defuisse ædes magnificas ex muris & fornicibus inibi prostantibus testatissimum sit. Columnas marmoreas disjectas & submotas offendimus, alias albi coloris, mixti alias. Hæ autem erant prope templum *Dianæ*, (cujus fundamentis ecclesiam *Christianos* inædificasse verisimile videtur) quarum diameter erat septem circiter pedum, longitudo quadraginta; epistylia, quæ propè aderant, fortè undecim pedes in quadrum extensa sunt, & quatuor crassa, quibus bases erant planè analogæ. Templum hoc versus Japyga situm est, cujus aditum fuisse ab Euroaquilone è situ portæ pulcherrimæ inducor ut credam. Hisce visis, placuit ad ima descendere, quæ enim subtus latent admiranda esse fama erat: ideò cereis accensis, & glomere lini muro alligato, cujus ope exitum ex hisce locis subterraneis, quæ non incongruè *labyrinthum* appellitant, invenimus, flexu, qui à dextra est, descendimus: inde angustum aditum perreptantes, rectâ progredimur. Hinc inde ex utrisque lateribus erant came-

ræ, ad alias ducentes, arcuatim structæ, anfractusque sinuosi, quos permeare nobis non licuit, nisi genibus flexis, & corpore in terram penè strato. Cryptæ hæ, tantâ cum arte ac tanto cum labore exstructæ, superbi ædificii, quod sustinent, fundamentis inserviebant, nec ad alios usus à conditoribus designatæ esse videntur, cum reconditis annonis sint prorsus ineptæ & inutiles, tum ob angustiam ambulacrorum & camerarum, tum ob crassissimum ac uvidum aerem, quo quicquid inibi reservatum fuerit, facilè ac citò putresceret. Inde etiam teterrimi & noxii vapores exhalant, à quibus metuebamus, totum corpus sudore perfusi; ideò post quadrantis horæ moram ex his tenebricosis regionibus exiimus, quo purioris aeris luce frueremur.

Hinc ad Notozephyrum in vertice saxosi montis adhuc visuntur muri cujusdam propugnaculi, cui objacet promontorium *Trogyllium* & mare ad Notozephyrum, interposito trium circiter milliarium intervallo. *Sanctum Paulum* inibi detentum fuisse vulgo creditum est, inde carceris *Sancti Pauli* nomen habet; mihi videtur tum ex situ, tum ex angustia, (non enim ultra decem passus quadratos continet) speculam fuisse, hunc in finem exstructam, quo melius navium, quæ maris oram legerunt ac quasi prætervolârunt, prospectus haberetur. Hinc quoque ad Boreazephyrum despeximus in admirandos flexus & obliquationes *Caystri*, qui in se magis reverti videtur, quam *Mæander*.

Non procul à *Dianæ* templo versus Boreapo-

liotem

liotem humi jacet amplum lavacrum, è lapide porphyretico efformatum, cujus interior circulus ab extremo ad extremum quindecim circiter pedes continet, profunditas verò vix duos pedes superat. Hoc *D. Joannem* olim usum fuisse quidam asserunt incerta traditione confisi, quatuor adhuc columnis restantibus, quibus id institisse volunt. At parum credibile est *Christianos* sub *Domitiano* & *Trajano*, quo tempore tot gravia passi sunt, opibus & dignitatibus exuti, & quo mysteria & ritus religionis clam in cryptis fiebant & celebrabantur, de tantâ magnificentiâ meditari & consulere.

Ostenditur spelunca *Septem Dormientium*; (quorum etiam meminit *Mohammedes* in *Alcorano*) prope sunt parvi fornices, quos ingens fornix continet & circumambit, ubi ipsos per tot annos dormiisse, & tandem uti in proprio dormitorio repositos fuisse fabulantur.

Cum populus *Orientis*, æque ac plebs *Romana* spectaculorum amore insaniret, amphitheatra, quæ in quavis insigniori civitate ferè prostant, in hoc ampliſſimo totius *Asiæ* conventu deesse nemo suspicabitur. Duo autem sunt, alterum sub monte Australi, alterum ad Occidentem, prope quod adhuc eminet porta magnifica. Illic duobus in locis inscriptum erat.

. . . . ACCENSO
RENSI ET ASIAE.

Ab amphitheatris ad ecclesiarum rudera me converto: sed quàm triste, quàm horridum spectaculum! Eheu! ἡ πρώτη τῆς Ασίας; qualem subiit mutationem! Quàm solitaria, quàm nuda, quæ olim

tot millia *Christianorum* numeravit ! *Sancti Pauli* templum penitus collapsum est, tantillum illud quod supereſt de *S. Marci* basilicâ ruinam minatur. At quàm splendida & magnifica hæc aliaque templa olim fuerint ostendit unicum illud, quod hodie restat, *Divi Joannis* memoriæ consecratum, ad Septentrionem, jam *Turcarum Moschea*, septuaginta passus longum, latum viginti, cujus duos tholos sustinent quatuor insignes columnæ ex porphyrite factæ.

Hinc ad Boream, ad portam *Veteris Castri* statuæ minoris formæ curiosâ & artifici manu inciſæ prominent, quosdam vi raptos oculis quasi exhibentes; quid innuant hæ figuræ, mihi saltem, incertum est, & piget in proferendâ conjecturâ ineptire.

In mœniis *Novi Castri* exstat caput marmoreum: facies Lunam planè refert, quam ambiunt duo angues, capitibus in summâ illius parte ferè se contingentibus, caudisque in figuram arcûs circumplicatis. Figura, quâ repræsentatur *Proserpina*, *Luna*, aut *Diana*, satis prodit hoc fuisse *Ethnicorum* opus & inventum.

Nullibi non supersunt veteris magnificentiæ reliquiæ, quas longa ætas & *Turcarum* barbaries miserrimum in modum deformârunt. In marmoribus eruendis, quæ illic in ruderibus ubi ubi exstant, diligentem operam impendissem, modò illic, quod maximè in votis habueram, morari licuisset. Nobis enim superveniebat nox, antequam urbem fessò pede perlustrâssemus : & sequentis diei summo mane abeundum erat. Quod mihi in excusationem

nem cessurum spero, si hîc paucas inscriptiones, ubi tot meritò expectantur, tantum protulero.

Juxta *Vetus Castrum*, in marmore, quod humi jacet.

Η ΒΟΥΛΗ ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ
ΠΟΠΛΙΟΝ ΑΙΛΙΟΝ ΦΛΑ
ΒΙΑΝΟΝ ΑΠΟΛΛΟΔΩ
ΡΟΝ ΑΣΠΕΝΔΙΟΝ ΦΙΛΟ
ΛΟΓΟΝ ΤΟ ΔΕ ΜΝΗ
ΜΕΙΟΝ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ
ΠΟΠΛΙΟΣ ΑΙΛΙΟΣ ΦΛΑ
ΒΙΑΝΟΣ ΖΩΙΛΟΣ Ο
ΑΔΕΛΦΟΣ ΑΥΤΟΥ ΖΗ.

Columna ad aquæductum mole suâ oppressum dirutumque hæc habet in basi.

* ΦΑΔΙΛΛΑΝ ΘΥΓΑΤΕΡΑ Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ.

Non procul à *Dianæ* templo.

C. CLODIO. C. F. MAEC.
NVMMO. TRIB. LEG.
XIII. GEM. X. VIR. STL. IVD.
.... PROVINCIAE ASIAE
.... RTINIVS QVINTILIANVS
CVRIATIVS MATERNVS
.... DIVS NVMMVS ACILIVS
.... STRABO FILIVS FECIT.

* *Nupsit* Antistio Burrho, *ex quo filiam habuit* Juniam Fadillam *nuptam* Maximo Junio, *& post* Junio Toxotio. *Vide inscriptionem in* Analectis Mabillonii. *tom.* 4. *inscript.* 63. *p.* 500.

In

In altero marmore, quod propè reperitur, exſtat hæc inſcriptio, quam, licèt in fine imperfectam & malè expreſſam, apponere operæ pretium duxi, ut tandem aliquando è diariis aliorum, qui *Epheſum* petituri ſunt, emendatior prodeat.

ΕΠΙ ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ ΚΛΑΥΔΙΟΥ
ΤΙΤΙΑΝΟΥ ΔΗΜΟΣΤΡΑΤΟΥ ΥΙΟΥ
ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΙΕΡΑΤΕΥΟΝΤΟΣ
ΣΟΣΣΙΑΝΟΥ Μ. ΠΟΜΠΩΝΙΟΣ
ΛΑΤΕΙΝΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΙΣΙΔΙ
ΚΑΙ ΣΕΡΑΠΙΔΙ ΦΙΑΛΗΝ ΚΑΙ
ΣΠΟΝΔΕΙΟΝ Λ. . . . . .
ΝΑΥΒΑΤΟΥΝΤΩΝ ΛΥΚΙΑ. . . .
ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ ΤΟΥ ΧΑΡ. . . . .

Sed de *Epheſo* hactenùs.

Viceſimo primo: ad mille paſſus ab urbe pons ſaxeus *Cayſtro* ſuperſternitur; quo trajecto, non longè poſt, aditum verè admirandum ingredimur, qui fit in cæſa rupe altâ & ſolidiſſimâ. Hanc viam *S. Paulum* gladio aperuiſſe, neſcio an ſerio, fabulantur leves *Græci*. Paludes, quæ viam ſtratam ad *Epheſum* ducentem ab utroque latere tempore hiemali infeſtant, impedimento fortaſſe ſunt, quo minus illac, vel ſaltem non ſine difficultate, eatur; ſed rupis effodiendæ non eadem videtur occaſio, non idem prætextus, cum locus hic præſitu acclivi vix quippiam damni ab aquis pati poſſit: ideò mihi veriſimilius videtur, hoc opus ex levi cujuſdam Principis aut Præfecti motu attentatum

&

& effectum esse, ut homines, ne quid novi molirentur, distinerent, vel saltem ut ostendant humanâ arte & industriâ difficillima quæque effici posse. Post, scandebamus viâ saxeâ & perquàm difficili *Alymanam*, montis *Mimantis*, qui ad promontorium *Corinæum*, hodiè à *Turcis Kara borun*, id est *nigri nasi promontorium* dictum, excurrit, appendicem, quercubus & oleastris tectam, quam duarum horarum spatio superavimus. Deinde trajecto amne *Halesо* apud *Colophonem* in mare *Ægæum* illabente, venimus ad oppidum nitidum *Giamobashi* dictum, in ampla planitie situm, *Moscheis* & multiplici cupressorum serie ornatum, inde ad viculum *Karagie kui* divertebamur, & die sequenti *Smyrnam* repetiimus.

E septenario ecclesiarum numero sola restat *Smyrna*, cujus descriptionem paucis expediam.

Smyrna, hodie à *Turcis Esmir* dicta, in extremo recessu sinûs, qui à tribus lateribus præaltis montibus cinctus, ab Occidente, quà mare ingreditur, Orientem versus decem circiter leucis exporrigitur, sita, amne *Melete* ad Septentrionem irrigatur.

Adhuc eminet & celebris est, non ob splendorem & pompam ædium, (diu enim est, ex quo hæ igni, ferro, & terræ motibus conciderint) sed ob copiam civium, opes, & commercia. In latere montis, & magis ad Austrum, urbem olim stetisse è fundamentis, quæ inter effodiendum deteguntur, aliisque ruderibus certissimè liquet, licèt mari jam magis appropinquet. In jugo montis adhuc vetus arx manet, non nisi duobus tribusve tor-

tormentis, quæ appetente novâ lunâ *Birami*, aut quo tempore cum classe triremium portum ingreditur *Caputaneus Bassa*, copiarum navalium Præfectus, explodi solent, munita: prope cujus portam, quæ sinui rectà objacet, extat caput marmoreum, cujus nasus à *Turcis* præ odio ac furioso zelo, quo adversus istiusmodi figuras ardent, abscissus est. Nescio an memorare debeam cisternam illic subtus humum effossam, columnisque suffultam, cujus pavimentum gypso obtegitur: opus sane antiquum, cujusmodi aliud annonarium, sed longè illustrius suisque partibus maximè compositum in *insulâ longuâ* intra sinum à latere collis vidi, centum sexaginta passus longum, latum centum triginta novem, quintuplici columnarum serie ornatum, quarum unaquæque viginti quatuor columnas continet, interstitio æquali septem passuum inter ipsas servato. Propè aliam cryptam ferè paris magnitudinis, aquâ oppletam vidi. Insula hæc inculta est, & sylvestribus porcis & leporibus abundat. Sed ad *Smyrnam* revertor. Ad latera alterius portæ arcis, quæ ad Orientem est, adhuc visuntur duæ aquilæ, *Romanorum* insignia, largiusculè & bellè quidem delineatæ. Hinc inter descendendum, amplum amphitheatrum ad Notapeliotem, quo *Sanctus Polycarpus* martyrio coronatus erat, intravimus, gradibus saxeis à *Turcis* ad ornandas ædes illinc sublatis. In cujus lateribus duæ cavernæ, quibus claudebantur leones, sibi invicem opponuntur. Non procul distat circus, ut ex figurâ conjectari licet; passus ducentos & quinquaginta

ta longus, latus verò circitèr quadraginta quinque.

Sepulchrum *Sancti Polycarpi*, quod in latere montis versus Euroaustrum adhuc conservatur, *Græci* die festo ipsius memoriæ consecrato, pro more, qui apud ipsos obtinet, & ferè à tempore ipsius martyrii obtinuit, * solenniter invisunt: situm est in quadam ædiculâ, ecclesiæ fortè sacello, alii, per quam illuc transeundum est, contiguâ.

In hac exteriori, marmori in foculo jam posito hæc epigraphe incisa est.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ
ΑΔΡΙΑΝΩΙ
† ΟΛΥΜΠΙΩΙ ΖΩΤΗΡΙ
ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΙ

In hoc monumento instaurando, si ab impressionibus aeriis, si à *Turcis*, si à *Christianis* Occidentalibus, qui fragmenta marmoris quasi tot sacras reliquias exinde tollunt, lædatur temereturque, laudabilis illorum collocatur opera, ollâ fictili quoque illic appositâ, in quam quisque ferè vel ex curiositate, vel præ veneratione, quâ ergo † *Μεγαλομάρτυρα*, pro *Christo* invictâ animi præsentia mori sustinentem fertur, illic ductus, pauculos aspros conjicit, ut in omne ævum perennet. Propè exstat fornicum longo ordine positorum series, ingentibus saxis humi jacentibus: uti etiam saxeum quoddam ædificium, quod judicatorium

* *V.* Euseb. *Eccl. l.* 4. *c.* 15. *& Notas* Valesii *p.* 73. 75. *a.*

† ΟΛΥΜΠΙΩΝ. *Ita in opere* Reinesiano, *sed perperam: quam tamen lectionem e* Philostrato *ut stabilitum. v. pag.* 1020. *quasi de ludis* Olympicis *in marmore agerentur.*

fuisse

fuisse videtur, tria conclavia habens eidem solo insistentia, quorum medium duodecim ferè ab omni latere passuum est. Frontispicium ipsius olim ornârunt quatuor columnæ, quarum solæ bases manent. Nuper in regione urbis, quæ ad Euroaquilonem est, dum terram aggestam effodiendo sustulêre, ecce apparent grandium saxorum cæsorum series, aliæ aliis instar tot graduum supereminentes; fani fortasse hic olim grassante *Ethnicismo* exstructi appendices. In mœnibus urbis incisionem in quovis ferè saxo literæ *V* figuram plerumque exhibentem videre est, quâ ad *Vespasianum* Imperatorem de *Smyrnæis* optimè meritum allusum esse aliqui conjectantur; sed cùm figura illa non sibi semper constet, rectâ lineâ ipsi in aliquibus additâ *Y Græcorum*, dicendum videtur, illam à latomis & architectis factam esse, quo melius saxa cohærerent. In imo sinu portus est parvi ambitûs, (quem tuetur vetus propugnaculum) solis triremibus & cymbis recipiendis destinatus; in cujus altero latere telonium in mare excurrens palisque in fundo defixis innixum ædificatur. *Franci* longam pulchramque plateam propter mare incolunt, areis ædium ad littus excurrentibus, ut inde in apothecas merces suas è navibus eductas facillimè & commodissimè reponere possint. Ad mille ab urbe passus exstant parietinæ cujusdam ecclesiæ, quam *Franci Jani* templum nuncupant; fortè *D. Johanni* olim dedicabatur, cujus Apostoli nomen & memoriam præ cæteris *Asia minor* celebrat colitque; inde alterius nominis & erroris origo petenda videtur.

Turca

Turcæ hic tredecim numerant Moſcheas, *Judæi* ſuas hic habent *Synagogas*: inter hos *Chriſtiani* nominis hoſtes, viget quoque religio *Chriſtiana*; adhuc enim dignitatem metropoleos retinet *Smyrna*, licèt ſolæ duæ *Græcorum* eccleſiæ illic hodie ſint, quarum altera *Sancto Georgio* dedicatur, *Sancto Photino*, niſi fallat memoria, altera. *Armeni* unicam habent eccleſiam, in cūjus cœmeterio haſce inſequentes inſcriptiones reperi.

In Orientali tractu.

I.

ΟΙ ΘΕΙΟΤΑΤΟΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ ΣΕΟΥΗΡΟΣ
ΚΑΙ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ .... ΣΜΥΡΝΑΙΟΙΣ
ΕΙ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΡΟΥΦΙΝΟΣ Ο ΠΟΛΕΙΤΗΣ
ΥΜΩΝ Ο ΔΙΑ ΤΗΝ ΠΡΟΑΙΡΕΣΙΝ
Η ΣΥΝΕΣΤΙΝ ΕΠΙ ΠΑΙΔΕΙΑ ΚΑΙ ΤΟΝ ΕΝ
ΛΟΓΟΙΣ ΣΥΝΕΧΗ ΒΙΟΝ ΤΗΝ
ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΗΝ ΤΟΙΣ ΣΟΦΙΣΤΑΙΣ ΚΑΤΑ
ΤΑΣ ΘΕΙΑΣ ΤΩΝ ΠΡΟΓΟΝΩΝ
ΗΜΩΝ ΔΙΑΤΑΞΕΙΣ ΑΤΕΛΕΙΑΝ ΤΩΝ ΛΕΙ-
ΤΟΥΡΙΩΝ ΚΑΡΠΟΥΜΕΝΟΣ
ΥΜΩΝ ΑΥΤΟΝ ΕΚΟΥΣΙΩ ΑΝΑΓΚΗ ΠΡΟΚΑ-
ΛΟΥΜΕΝΩΝ ΥΦΕΣΤΗ ΤΗΝ
ΣΤΡΑΤΗΓΙΑΝ ΚΑΤΑ ΤΟ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΑΤΡΙ-
ΔΑ ΦΙΛΟΤΡΟΝ ΤΗΝ ΓΟΥΝ ΕΙΣ ΤΑ
ΑΛΛΑ ΜΕΝΕΙΝ ΑΠΡΑΓΜΟΣΥΝΗΝ ΑΚΕΙΝΗ-
ΤΟΝ ΑΥΤΟ ΔΙΚΑΙΟΤΑΤΟΝ
ΕΣΤΙΝ ΟΥ ΓΑΡ ΑΞΙΟΝ ΤΩ ΑΝΔΡΙ ΤΗΝ ΕΙΣ
ΥΜΑΣ ΦΙΛΟΤΕΙΜΙΑΝ ΓΕΝΕΣΘΑΙ

ΖΗΜΙΑΝ ΚΑΙ ΜΑΛΙΣΤΑ ΤΑΥΤΗΝ
ΥΜΩΝ ΑΙΤΟΥΝΤΩΝ ΥΠΕΡ
ΑΥΤΟΥ ΤΗΝ ΧΑΡΙΝ. ΕΥΤΥΧΕΙΤΕ.
ΕΠΡΕΣΒΕΥΕΝ ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΚΑΙ ΑΙ-
ΛΙΟΣ ΣΠΗΡΑΤΟΣ.

2.

ΤΑΤΙΑΣ ΗΡΩΘΕΜΙΔΟΣ ΜΑΓΝΗΤΙΣ ΑΠΟ ΣΙ-
ΠΥΛΟΥ ΖΩΣΑ ΚΑΙ
ΤΩ ΥΙΩ ΤΩ ΚΑΤΟΙΧΟΜΕΝΩ ΛΥΣΑΝΙΑ ΛΥ-
ΣΑ ΚΑΙ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΑΥΤΟΥ ΛΥΣ.

In Auſtrali.

1.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
ΤΗΙ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ ΚΑΙ ΜΗΤΡΟΠΟ
. ΕΙ ΚΑΙ ΤΡΙΣΝΕΩΚΟΡΩ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣ
ΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑ ΔΟΓΜΑΤΑ ΤΗΣ ΙΕ
ΡΩΤΑΤΗΣ ΣΥΓΚΛΗΤΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙ

2.

* ..ΟΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΕΠΙ ΤΗΣ Α..
ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΗΡΩ..
ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΦΑΝΤΟΥ ΚΑΙ
ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΘΕΟΥ..

* *Tam capite quam ſine verſuum manca eſt hæc inſcriptio. Plures quoque decurrunt, qui apud* Reineſium *exſtant, pag. 375. aliqui vero penitus obſeruntur.*

..ΔΙΟΣ

..ΔΙΟΣ ΠΑΤΡΩΟΥ ΑΥΤΟΚ..
ΜΕΓΙΣΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΤΗ..
ΤΟΥ ΣΥΜΠΑΝΤΟΣ ΑΝ..
..ΕΙ ΜΑΡΚΟΣ ΑΙΦΟΥΛΑΝΟΣ..
Ο ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΑΠΟ ΤΗΣ..
..ΡΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΠΡΟ..
ΕΠΑΡΧΕΙΑΝ ΚΗΔΗΜΟΝ..
. . . . . .
. . . . . .

3.

† ΧΑΡΙΤΙΝ ΕΡΜΙΠΠΟΥ ΤΟΥ
ΕΠΙΤΥΝΧΑΝΟΝΤΟΣ ΤΟ ΜΝΗ
ΜΕΙΟΝ ΕΑΥΤΗ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΕΝ
ΤΗ ΔΙΑΘΗΚΗ.

ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΕΣΤΙΝ ΙΚΙΟΥ ΙΚΙΟΥ ΤΟΥ
ΕΥΗΜΕΡΟΥ ΙΕΡΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΤΡΟΦΙ-
ΜΗΣ
ΚΥΡΟΥ ΤΟΥ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΓΕ-
ΓΟΝΥΙΑΝ
ΕΚΧΩΡΗΣΙΝ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ
ΑΠΟΤΕΘΗΣΕΤΑΙ ΕΙ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ.

In aliis regionibus urbis sequentes inscriptiones reperi.

† XAPITION. *Sic emendat* Reinesius *pag.* 503. *Sane* Charitum *occurrit pro* Charitium *pag.* 658. *At fortasse* XAPITINH *hic potius legi debet.*

In plateâ, quæ ducit ad pontem:

ΑΝΤΙΟΧΙΣ
ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ
ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΝ Ο ΔΗΜΟΣ.
ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ
ΤΟΥ ΜΗΝΟ . . . . . .

Supra portam in platea non procul à vico *Armenorum*:

Ο ΔΗΜΟΣ
ΣΙΜΑΝ . . .
ΙΣΧΩΝΙΔΟΥ . . . . .
ΑΜΥΝΤΟΡΑ
ΙΣΧΩΝΙΔΟΥ.

In areâ Consulis *Angli* versus mare:

Ο ΔΗΜΟΣ
ΜΕΝΕΚΛΗΝ ΕΡΜΟ
ΓΕΝΟΥΣ ΤΟΥ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ.

Ο ΔΗΜΟΣ
ΕΡΜΟΓΕΝΗΝ ΜΕ
ΝΕΚΛΕΙΟΥΣ.

In

Ad pag. 58

a erat, in angiportu,
m.

ΡΑΦΩΝ....
ΣΘΑΙ ΧΩΡΙΣΘΗΝ....
ι ΔΙΑ ΠΡΟΔΗΛΟΥ ΓΑΙΟΝ..
..ϽΥ ΘΕΟΥ ΜΥΣΤΗΡΙΟΙΣ ΔΙΟΣ..
ΦΙΛΟΘ ΤΑ ΑΝΤΙΓΡΑΦΑ ΤΩΝ ΥΠΟΜΝΗΜΑ
ΧΩΡΗΣΕΝ.

IMP SEXTILIO ACVTIANO SENTENTIAM
E TIBI PERMITTO RESCRIPSI RE
ANTONINO. II. ET PRAESENTI

....ΙΣ ΟΚΡΑΤΟΡΙ ΚΑΙΣΑΡΙ. Τ. ΑΙΛΙΩ ΑΔΡΙ
ΑΝΑΤΟΙΣ. ΠΑΡΗΣΑΝ ΕΦΛ. ΜΑΚΡΕΙ
ΛΑΙΤΙΟΣ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΑΙΛΙΑ
ΚΟΣΚΩΝΙΟΣ ΚΑΡΙΚΟΣ. ΤΙ.

EL CONSTITVTIONEM.

tæ erant à reverendo viro
ous nuper à ſacris.

In craſſum marmor incidi, cujus ſuperior pars effracta erat, in angiportu, qua itur in regiam viam verſus pontem.

....ΝΤΩΝ ΑΘΗΝ....

....ΡΩΜΗ ΕΙΛΗΜΜΗΝΩΝ ΤΩΝ ΑΝΤΙΓΡΑΦΩΝ....

....ΑΙΝΕΩΚΟΡΟΥ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΩ ΑΥΤΟΝ ΜΗ ΔΥΝΑΣΘΑΙ ΧΩΡΙΣΘΗΝ....

...ΠΑΡΧΕΙΝ ΤΗΝ ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΟΥ ΠΡΟΝΟΙΑΝ ΠΟΙΗΣΑΣΘΑΙ ΔΙΑ ΠΡΟΔΗΛΟΥ ΓΑΙΟΝ...

..ΤΟΥ ΘΕΟΠΡΟΠΟΥ Η ΤΙΣ ΙΕΡΩΣΥΝΗ ΑΚΟΛΟΥΘΕΙ ΤΟΙΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΜΥΣΤΗΡΙΟΙΣ ΔΙΟΣ..

ΦΙΛΟΘΕΕ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΕ ΚΑΙΣΑΡ ΚΕΛΕΥΣΑΙ ΔΟΘΗΝΑΙ ΜΟΙ ΤΑ ΑΝΤΙΓΡΑΦΑ ΤΩΝ ΥΠΟΜΝΗΜΑ ΤΩΝ ΩΣ ΚΑΙ Ο ΘΕΟΣ ΠΑ.... ΣΥΝΕΧΩΡΗΣΕΝ.

IMP. CAESAR. T. AELIVS HADRIANVS ANTONINVS AVGVSTVS PIVS SEXTILIO ACVTIANO SENTENTIAM DIVI PATRIS MEI .... SI QVID PRO SENTENTIA DIXIT RESCRIBERE TIBI PERMITTO RESCRIPSI RE COGN. VNDEVICESIMVS ACT. VI. IDVS APRIL. ROMAE CAES.... ANTONINO. II. ET PRAESENTI II. COS.

....ΙΣ ΕΣΦΡΑΓΙΣΘΗ ΕΝ ΡΩΜΗ ΠΡΟ ΤΡΙΩΝ ΝΩΝΩΝ ΜΑΙΩΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΚΑΙΣΑΡΙ. Τ. ΑΙΛΙΩ ΑΔΡΙ ΑΝΩ ΑΝΤΩΝΕΙΝΩ ΤΟ Β. ΓΑΙΩ ΒΡΟΥΤΙΩ ΠΡΑΙΣΕΝΤΙ ΤΟ Β. ΥΠΑΤΟΙΣ. ΠΑΡΗΣΑΝ ΕΦΑ. ΜΑΚΡΕΙ ΝΟΣ ΣΙΜΩΝΑΣ ΛΑΤΑΝΙΟΣ ΦΑΛΟΥΙΟΣ ΔΗΜΟΣΘΕΝΙΑΝΟΣ ΛΑΙΤΙΟΣ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΑΙΛΙΑ Μ. ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΚΡΙΣΠΟΣ. Λ. ΛΙΚΙΝΝΙΟΣ ΑΛΒΕΙΝΙΑΝΟΣ Μ. ΚΟΣΚΩΝΙΟΣ ΚΑΡΙΚΟΣ. ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΑΚΤΙΟΣ.....

ŠTASIME DAPENE EDIT... EX FORMA SENTENTIAM VEL CONSTITVTIONEM.

Sequentes inſcriptiones mihi perquàm benevolè communicatæ erant à reverendo viro *D. Traherono*, Mercatoribus *Anglis Smyrnæ* degentibus nuper à ſacris.

In porticu *Moſchea* intra ſuperius caſtrum.

ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ
ΔΗΜΟΣ ΕΤΙΜΗΣΕΝ
ΜΑΡΚΟΝ ΑΤΤΙΛΛΙΟΝ ΒΡΑΔΟΥΑ
ΤΟΝ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ
ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ ΜΑΡΚΟΥ
ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΠΕΡΠΕΡΟΥ ΤΟΥ
ΕΠΙ ΤΩΝ ΟΠΛΩΝ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ.

In marmore, quod *D. Brandon*, Mercatoris *Angli*, ſtabuli muro ordine inverſo infigitur.

ΝΑΙΣ ΕΡΜΟΥ ΤΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ
ΑΓΟΡΑΣΑΣΑ ΤΟΠΟΝ ΨΕΙΛΟΝ ΚΑΤΕ
ΣΚΕΥΑΣΕ ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΤΩ ΚΑΤΟΙ
ΧΟΜΕΝΩ ΥΙΩ ΖΩΣΙΜΩ ΚΑΙ ΕΑΥΤΗ ΚΑΙ
ΚΟΡΝΗΛΙΩ ΕΥΤΥΧΙΑΗΡΩ ΑΝΔΡΙ ΚΑΙ
ΤΟΙΣ ΘΡΕΜΜΑΣΙ ΚΑΙ ΠΡΟΚΛΗ ΤΗ ΤΡΑ
ΦΕΙΣΗ ΥΠ ΑΥΤΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΧΟΥ
ΣΗΣ ΑΥΤΗΣ ΕΠΙΘΕΙΝΑΙ ΣΟΡΟΝ ΕΙΣΗΝ
ΑΠΟΤΕΘΗΣΕΤΑΙ ΜΟΝΗ ΜΗΔΕΝΟΣ ΕΧΟΝ-
ΤΟΣ
ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΕΤΕΡΟΝ ΒΑΛΕΙΝ Η ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩ-
ΣΑΙ.
ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΠΕΤΕ
ΘΗ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ.

In ædibus Chirurgi *Angli*.

. . . . . .

. . . MAGISTRATVS HARVM CIVITA . . .
QVIBVS TE SVGGERIS POSSIDERE
AGERE CVRAM . . .
QVI QVOD OPTIME PLACVISSE PER-
SPICITVR PERPETVA
OBSERVATIONE TENEATVR. VALE
APELLA CARISSIME NOBIS. DATA
V. KAL. IVN.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΠΟΥΒΛΙΟΣ ΛΙΚΙΝ-
ΝΙΟΣ ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ ΕΥΣΕΒΗΣ ΕΥΤΥΧΗΣ
ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΠΟΥ-
ΒΛΙΟΣ ΛΙΚΙΝΝΙΟΣ ΓΑΛΛΙ . . ΕΥΤΥΧΗΣ ΣΕ-
ΒΑΣΤΟΣ . . ΛΙΚΙΝΝΙΟΣ Κ . . . . . ΕΠΙ-
ΦΑΝΕΣΤΑΤΟΣ . . . . . ΚΑΙΣΑΡ ΙΟΥΛΙΩ
ΑΠΕΛΛΑ ΙΔΙΩ ΧΑΙΡΕΙΝ.

ΑΜΦΙΒΟΛΟΝ ΕΣΤΙΝ ΚΑΙ ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΤΑ
ΟΡΙ . . . . . ΕΝΤΑΤΗΡΕΙΣ . . . . ΓΝΩΜΗ . . . .
ΚΑΙ ΟΝΗΤΑΣ . . . . . ΣΥΓΚΛΗΤΙ ΚΑΙ ΟΙΚΙΑΣ
Ζ. ΕΝΙΑΙΣ ΕΝΟΧΛΕΙ . . . ΑΙΔΙΟΙ ΑΡΧ ΤΟΥ-
ΤΩΝ ΤΩΝ ΠΟΛΕΩΝ ΕΝ ΑΙΣ . . . . . ΑΥΤΟΝ
ΚΕΚΤΗ . . . . . ΗΣ ΦΡΟΝΤΙΣΟΥΣΙΝ ΙΝΑ . . .
ΑΡΙΣΤΑ ΑΡΕΣ . . . . . ΤΩ ΠΑΡΑΦΥΛΑΣΣΗ-
ΤΑΙ . . . . . ΕΡΡΩΣΟ ΑΠΕΛΛΑ . . . . . .

In

In latere ſandapilæ ſaxeæ è veteris *Smyrnæ* ruderibus ante biennium effoſſæ, jam verò in hortis cujuſdam *Turcæ*, cui nomen *Achmet Aga*.

ΜΑΡΚΟΣ ΦΑΒΙΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΦΑΒΙΟΥ ΥΙΟΣ
ΓΑΛΕΡΙΑ ΙΩΝΙΟΣ ΕΤΩΝ ΚΑ

In viâ publicâ *Magneſiam* verſus, duobus à *Smyrnâ* milliaribus, inter *Turcarum* ſepulchra erigitur pars marmoreæ columnæ, cum hac epigraphe.

DD ..... NN
CONSTANTINI
MAX. VICTORIS
TRIVMFATORIS AC
SEMPER AVGVSTI
.....
ET CONSTANTI
ET CONSTANTI
NOBB. CAESS.

In aliâ columnâ prope vicum *Hagiler Cui*.

DD ..... NN
FL. VALENTINIANO
ET FL. VALENTI
VICTORR SEMPER
AVGG.

. . . . . .
....ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ .....
....ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ
ΠΟΛΙΣ . . . . . .

Hac qualicunque notitiâ satis compertum habebis, Vir clarissime, quali statu hodie sint hæ quondam celeberrimæ ecclesiæ, quas *Apostoli* condidêre; in quibus, tot sanctissimis Martyribus, tot myriadibus *Christianorum* olim fœtis religio *Christiana* de odio, de tyrannide, de vesaniâ barbarorum hostium, qui præ amore ac zelo idololatriæ eam igni & ferro penitùs exterminatum iverint, triumphabat; quas demum, cùm Imperatores se legi & disciplinæ *Christianæ* submitterent, & crux, non amplius ferale mortis instrumentum, tanquam insigne & summum ornamentum coronis superponeretur, æternas fore aliquis crederet; quàm nihil ipsis præter rudera superstit, quæ eas olim fuisse testantur; quanta barbaries & inscitia *Asiam minorem* obruant; quàm vili habita sit illic *Christianismi* professio, & quàm somnia & deliria impurissimi & vilissimi Impostoris vigeant. Non te in deplorandis rerum vicissitudinibus amplius morabor, nec mihi animus est *Græcis* luxuriam & stupiditatem exprobrare; hæc enim vulgarium animorum sunt: ad altiora contemplandum me invitat sacerdotale illud munus, quo, divinâ misericordiâ favente, licèt indignissimus, fungor, (credo autem pietatem tuam, & mentis, quâ polles, perspicacitatem me in hisce meditationibus antevertisse) hasce diris simas calamitates, hanc miserrimam *Græcorum* servitutem, harumque ecclesiarum demolitionem orbi huic nostro *Christiano* palàm denunciare, ac si Angelus de cœlo horrendum & triste illud nuncium ad terras detulisset, quid de ipso fieri possit, modò

iisdem

vestigiis insistat, eorumque exempla sequatur; ingenium & vires humanas adversus iram Numinis neutiquam valere posse; & denique totam ipsius securitatem non in exterioribus privilegiis, non in exercitibus (neque enim his utrisque à furore *Saracenorum* & *Turcarum* satis munîti erant *Christiani* Orientales) sed in fide colendâ, in animorum consensu, & in innocentiâ & probitate morum reponendam esse. Vale Vir præstantissime.

E Coll. *D. Mariæ Magdalenæ* *Oxon.* octavo die *Aprilis*, *anno Christi* M.DC.LXXII.

FINIS.

BREVIS CONSTANTINOPOLEOS NOTITIA.

CUM urbis *Constantinopolitanæ* describendæ fidem meam tibi, Vir insignissime, nuperrimè dederim obstrinxerimque, non eo animo factum erat, quod planè compertum habebis, quasi graphicam ejus delineationem in me suscepissem; in hâc enim verè laudabili operâ major cura adhibenda est, quam venditare vel possim vel debeam. Singulos vicos ac angiportus frequenti & accuratâ indagine rimarì, ac quicquid illic appareat lateatque, ante exploratum habere oporter, quàm talem topographiam aliquis de novo aggrediatur. Nec me latuit *P. Gyllium* libro suo aureo omnes numeros hâc ex parte expleviſſe videri, ac literato orbi diligentiâ suâ incredibili penitùs satisfeciſſe, ut post illum quidvis hac in re meditari planè arrogans & temerarium censendum sit. Ille enim

enim Vir eruditissimus omnes regiones urbis frequenti pede dimensus est; penè dixeram illum nimiâ diligentiâ usum fuisse, ac dum varios flexus, dum quasvis eminentias ac depressiones viarum, dum singularum dimensiones maximâ cum accuratione definit, descriptionem paulò obscuriorem & minùs gratam reddidisse.

Ille colles, valles, templa, portus, columnas, aliasque urbis appendices annotavit, collatione veteris statûs ipsius, dum *Græci* rerum potiti supremum humanæ felicitatis apicem assequerentur, cum præsenti, ex quo nimirum, eorum imperio everso, eam occupârint *Turcæ*, factâ, quam veteri notitiâ urbis, qualis erat sub Imperatoribus *Arcadio* & *Honorio*, adjutus instituit, ut omnem aliorum industriam omnemque laudem præripuisse videretur. Ita est sanè me judice. Quid ergò à te exspectandum est, inquies, qui tot verba in elogiis *Gyllii* profuderis, quem accuratissimum scriptorem tota gens literata tecum fatetur? Præsto mihi est apologia, quæ me ab hoc ictu immunem illæsumque, ut spero, tuebitur, mihi nimirum idem cum aliis licere, qui *Constantinopolim* tum iconismis tum novis commentationibus illustrandam sine censura *Gylliana* industriæ, aliorumque, qui idem argumentum tractârunt, vituperio credunt. Quisque sibi in rebus describendis repræsentandisque placet, non eadem methodus, non idem propositum, quod pro diversâ studiorum ratione variatur. In tanto igitur Scriptorum numero, non mihi imputandum erit, si more eorundem, ipse quid oculis observaverim, li-

cèt

cèt fortaſſè id rudiùs minùſque expreſſè, deſcribam; non enim pudebit fateri, curioſitati meæ vix ſatisfieri potuiſſe, dum rudera antiquitatum inveſtigando luſtrarem; ea ſemel vidiſſe non ſatis duxi, plateas aſſiduè percurrere ac templa ingredi perplacuit, denique omnem diligentiam adhibui, ſi non quoad volui, (nec enim faſtus & odium *Turcarum* id penitùs ſiverint) ſaltem quoad potui, dum hæc agerem: quod mihi in excuſationem apud æquos rerum judices & æſtimatores ceſſurum arbitror. Hæc autem præfatus, rem propoſitam, & quæ ei ornandæ maximè conducunt, de induſtriâ paucis quidem pagellis ad amoliendum tum tædium tum invidiam, in tui & per te, ſi placet, aliorum gratiam breviſſimè confecta dabo.

Situs urbis pulcherrimus & commodiſſimus.

Facilè, nec id temerè quidem, pronunciandum eſt, nullam urbem in univerſo terrarum orbe hodiè exſtare, aut olim exſtitiſſe, quæ *Conſtantinopolim* ſitu æquet, ſi amœniſſimum proſpectum, ſi à qualicunque hoſtium ac ventorum impetu, abſque fœdiſſimo civium neglectu, ſecuritatem, ſi munitiones, quas ſuppeditant tum ars tum natura, ſi denique breviculum, quo in *Aſiam* facilè tranſitur, trajectum ſpectes, ut in ſedem & caput imperii ab ipſo Numine deſtinata videatur. Tot montibus placidè tumet, ædibus hinc inde pendentibus, planè ad modum amphitheatri, ut illuſtrius ſpectaculum oculiſve jucundius deſiderari aut fingi quidem vix poſſit. Ædes enim aliæ aliis paulò elevatiores miro & pulchro ſtant ordine, & à quopiam urbis latere facilè ſpectantur. In hortis altùm

altùm exſurgunt cupreſſi, plateis intermixtæ, ut urbem mediâ ſylvâ conditam quiſpiam, maris *Propontici* oram legens, credat: ſi vero ad *Moſcheas*, quæ quaquaverſum patent, oculos tollat, apices pyramidum auro obtecti tanto vigore lumen evibrant, ut nimio ſplendore victi oppreſſique conniveant & fatiſcant, & delectatio illa, quam mens priùs exhauſerat, ſtupori derepentè cedat.

Licèt mari objaceat, utrinque anguſtiis coercetur, ut penè inacceſſa ſit, & qualeſcunque hoſtium impetus facilè arcere poſſit. Diſtat *Tenedos* inſula quatuor leucis ab ipſo *Helleſponti* oſtio, cujus litora intervallo quinque milliarium à ſe invicem diſtant; hinc aquæ rapidiſſimo curſu, potiſſimùm flante Boreâ, qui ob vicinitatem maris *Euxini* hic regnare videtur, in mare *Ægæum* ſine ulla reciprocatione effunduntur, unde contrà ire curſumque navis promovere, niſi ſecundiſſimi venti ope, non liceat. Deficiente enim Auſtro, moras, eaſque longas & ingratiſſimas, protrahere hic coguntur Nautæ. Hunc aditum muniunt duo propugnacula, quæ à *Venetis* ferè ad fauces uſque *Helleſponti* cum claſſe ſua irrumpentibus laceſſiti, flagrante bello *Cretico*, exſtruenda curabant *Turcæ*. Prope promontorium *Sigæum* (quod hodie à Nautis noſtris ac *Italis Janizzarianum* audit) in litore *Aſiatico* ſitum navigantes, tormenta bellica iſtius propugnaculi ab uno latere, quod oram oppoſitam reſpicit, viginti ſex, ab altero, quod *Tenedum*, ſexdecim numeravimus. In medio autem æſtu vecta navis ab his non multùm fortaſſè *Helleſponti.*

peri-

periclitabitur. Inde *Helleſpontus* latiùs Orientem verſus exporrectus, tandem intervallo à *Propontide* & *Ægæo* propemodum æquali in anguſtiſſimas ſinuatur fauces. Latitudo enim milliari *Anglicano* quartâ parte minor eſt. Propugnacula, *Turcis* * *Boghas Hiſar* (id eſt *freti munimenta*, *Chriſtianis Dardanelli*) ſibi invicem opponuntur, quorum gratiâ etiam adhuc veterem, quam olim obtinuêre, famam retinent *Seſtos* & *Abydos*. Illius propugnaculum trigoni forman habet; in cujuſque verò anguli vertice exſurgit turris, mediam aream occupat turris quadrata, quam ambiunt tres aliæ, formâ hemicyclicâ: hujus propugnaculum quadrangulare eſt, latera arces rotundæ figuræ exornant muniuntque: intùs turris oblonga ſe altùm exſerit. His ſuam ſecuritatem debent *Conſtantinopolitani*, aditu exituque navium hinc intercluſis; hic enim pro more, uſque dum mundo ter illuxerit ſol, uti loquuntur *Turcæ*, *Chriſtianorum* naves jactis anchoris ſubſiſtunt, à *Conſtantinopoli* huc appellentes, nec illinc ſolvendum eſt, niſi poſt explorationem, ne mancipia merceſve per leges Imperii interdictæ concludantur deliteſcantque, factam, à Præfectis veniam priùs impetraverint. *Seſtos* in litore *Thracico* ſub monte jacet, in planitie *Abydos*; munitionibus validiſſimis & planè antiquis, longè ſupra ingenium & peritiam *Turcarum*, utraque ornatur gaudetque, ingentibus tormentis paulò ſupra aquæ ſuperficiem eminentibus, ut non niſi maximo periculo fretum ſit perrumpendum, ne ea, quæ in ſingulis muris diſponuntur, referam.

* Boghas *propriè* fauces.

Ab

Ab alterâ parte versus mare *Euxinum* angustiæ *Bosporus Thracicus.* *Bosphori* aditum præcludunt, quo minus ad urbem eatur. Hic ad octodecim milliaria in longitudinem extenditur, variis & interludentibus aquarum flexibus, ob rupes & promontoria, quæ visum simul intercipiunt & fallunt, quasi utrisque ripis conjunctis non amplius esset progrediendum; tanto autem impetu fertur aqua in fretum hoc irrumpens, præcipuè si ab Aquilone protrudatur, ut cymbarum proris fluctibus frustra obversis remiges subinde litus petere coacti, eas funibus alter pone alterum incedentes trahant, & quod mirere, tantâ cum ebullitione alicubi resilit, quasi ignis suppositus flexiles ejus particulas in bullas intumescentes sine spuma agitasset. Sinubus latis & portuosis abundat, potissimùm in litore *Thracico*, quod oppletur vicis & ædibus Magnatum: freto imminent ædes, è quarum fenestris pisces capiuntur; ripas *Bithynici* litoris tegunt oleastri, castaneæ, cupressi; hortus continuo tractu insitus videtur. Hinc *Asiæ minoris* delicias æstimare licet, quàm ubere ac felici solo, quàm propitio cœlo gaudeat; jucundum sanè nobis in freto navigantibus spectaculum, at quàm longè jucundius gratiusque futurum esset, si hæc umbracula, si amœni hi secessus è manibus *Barbarorum* eriperentur!

Bina munimenta alterutrum alvei latus muniunt, prima sexto ferè ab urbe milliari distant, a *Mohammede* expugnatore urbis condita, vel potiùs cùm à *Græcis* neglecta dilaberetur, redintegrata, *Turcis Jeni Hisar*, *Græcis* Νεόκαστρα *nova propugna-*

pugnacula, seu Ασπρόκαστρα *candida*, quibus nominibus ab aliis distinguuntur longè vetustioris originis, quæ magis introrsùm versus ostium *Bosphori* sunt, novem abhinc intervallo milliarium. Ad priora castra breviſſimus est trajectus, non enim milliari latitudo amplior videtur. In ipso ferè *Ponti* ostio, providente naturâ, objiciuntur rupes, ad frangendam aquarum, quas perpetim volvit *Euxinus*, vim: has *Cyaneas* & *Symplegades* nuncupârunt Antiqui; tota enim moles saxea est, & parvi circuitûs; litori *Europæo* quatuor ferè contiguæ modico intervallo inter se distant, quasi totidem νησίδια, quam tamen appellationem ob parvitatem & angustias mereri non videntur, ut, mari interfluente eminùs non perspecto, coïre & concurrere videantur. In harum maximâ adhuc eminet columna politiſſima candidi marmoris, octodecim circiter pedes alta, ordinis *Corinthiaci*, quam *Pompejanam* vocant, quasi ab illo præclariſſimo tum mari tum terrâ Duce, in memoriam victoriæ, quam de *Mithridate* Rege *Pontico* reportaverat, erigeretur: quod mihi planè figmentum videtur, ac eâdem licentiâ dictum, quâ alii rudera quædam saxea, non procul à *Belgrado*, (viculo nimirum, in quo flagrantibus anni æstibus pro more rusticari solebamus, à freto *Bosporico* tribus milliabus dissito) *Ovidii*, quasi hic propè exul quod reliquum vitæ erat transegiſſet, *turrim* somniârunt. Ita veteribus monimentis nova imponuntur nomina, à viris Occidentalibus, partim seriò, partim jocularitèr: sed rem extra controversiam ponit inscriptio, obscuris exesisque characteribus in basi inci-

Symplegades.

incisa, quæ eam imperante *Augusto*, cujus nomen illic memoratur, erectam fuisse ostendit.

AVGVSTO CAESARI
L. CL. ANNIDIVS
LE. CLA I PONTO.

Ex adverso *Pharus*, Φανάριον, *Græcorum* opus elegans & magnificum, promontorio inædificatur; quem adscendimus, inde enim commodissimus in illud importuosum & infame mare, quod *Turcæ Kara denisi*, id est *nigrum mare* appellant, prospectus est.

Situs hic inter duo maria, longè antequàm a *Constantino* caput imperii constitueretur, *Byzantium* nobile emporium reddidit, utpote commerciis quàm maximè opportunum. Quicquid enim *Græcia*, quicquid *Ægyptus* & *Mauritania* habent, huc facilè vehitur. *Asiam minorem* in conspectu habet, in quam copias tum frumentarias tum militares securissimè trajicere licet, & gentes, quæ ingentem *Pontum* paludemque *Mæotidis* circumstant, suas merces perquàm commodè mittunt. Ita ut a quocunque cœli cardine spiraverint venti, naves aut ab hoc aut ab isthoc mari ad urbem ferantur. Sed de ipsius situ in genere pauca hæc prælibâsse sufficiat.

Constantinopolis à *Turcis* nominatur *Istanpol*, quod juxta tritum loquendi usum, qui ubivis obtinet, in *Stampol* hodiè degeneravit. Inde cuivis constare posse certum est, nomen illud non *Turcicæ* esse originis, quasi *Islamboul*, id est *urbs fidei plena*, scribendum esset, ut aliqui imperitè conjectantur, sed ex *Græco* planè mutilatum, veteri sæpe-

Constantinopolis sive *Stampol.*

numerò urbium nomenclatione ad linguæ *Turcicæ* genium modulumque paululùm inflexâ, ut *Edriane*, *Burſia*, *Eſmir*, *Budun*, pro *Adrianopoli*, *Pruſia*, *Smyrna*, *Buda*, & ſexcenta ejuſmodi. Particularem vero ipſius ſitum accipe. *Scutario* (Veterum *Chryſopoli*) urbi peramplæ, leucæ intervallo objacet, & *Chalcedoni* in anguſto ſinu reductæ, quæ temporis edacitatem & fati violentiam triſteſque rerum viciſſitudines luget & teſtatur. Ignobilis enim hodie pagus eſt, (*Turcis Kadi kui*, id eſt *Judicis oppidum*) adhuc tamen ſedis metropoliticæ dignitatem obtinet apud *Græcos*, qui pulcherrimum templum pientiſſimæ & conſtantiſſimæ martyris *Sanctæ Euphemiæ* nomini dedicatum, unicum veteris magnificentiæ quod ſupereſt monimentum, hic habent.

Figura. Trianguli formam refert, cujus vertex eſt promontorium, (à *Græcis Sancti Demetrii* promontorium nuncupatum) cui ſupereminet palatium Imperatoris. Inde majus latus, quod à *Propontide* ad Auſtrum ſe obliquatione factâ in ſinum ſubducente ſubtenditur, ab Euroaquilone ad Notozephyrum ſex ferè milliarium intervallo uſque ad *ſeptem turres* excurrit. Alterum latus verſus Boream, litore inſtar cornu flexo, ad tria milliaria extenſum ab Ortu ad Occaſum facit ſinus *Galatenſis*, à *Strabone* Κέρας dictus. Pro baſe habet in planitie campeſtri *Thraciæ* verſus Occidentem iſthmum, à *Propontide* quater mille paſſus ferè meridionalitèr ad ſinum exporrectum, triplici muro cinctum, uſque ad *Conſtantiniani* palatii rudera, inde angulo curvâ projecturâ facto, ubi eſt maxima terræ declivitas,

unico,

unico, modico nimirum ad portum intervallo, quemadmodum duo latera, quæ à mari alluuntur, habent.

Quoad ambitum, tredecim millia passuum intra mœnia complecti videtur. Latitudinis autem est variæ, coeuntibus aut recedentibus diversis angulorum oppositorum partibus. Montibus duodecim, ni fallor, turget, è quibus * septem insigniores sunt, utpote elatioribus jugis maximè conspicui. Horum plerosque ornant templa magnifica, ab Imperatoribus juxta formam *Sanctæ Sophiæ* condita, quorum testudines pyramidesque nubes ferè attingunt. Sed de his enucleatiùs posteà dicendum erit. *Ambitus.*

Nihil non illustre & tantâ, quæ spargebatur, famâ dignum in hâc urbe exstare, oculis quoque spondentibus fisus, credebam; quamque ingens sui desiderium illa è longinquo conspecta pepererit, exprimendo non sum: quam tamen ingressus, me miserè delusum esse præsens sentii; mihi primùm displicuêre salebrosi viarum flexus & inæqualitates non sine labore superandæ; undequaque enim vel adscendendo vel descendendo itur, si unicam, quæ urbem transversim dividens ab Imperatoris palatio ad portam *Adrianopolitanam* æquali superficie ac sine aliquâ curvaturâ ducit; plateam excipias; dein earumdem angustiæ, quæ nitori & amœnitati detrahunt, ut ædes alicubi utrinque se ferè contingere videantur. Sed cum his facilè mihi in gratiam rediit, cum meminissem, *Ex angustiis & inæqualitate viarum incommoda.*

* *Chrysalora*, πόλις ἐπτάλοφος *Constantinopolis*; uti *Roma urbs septicollis.*

in causâ fuisse tum situm, tum umbræ commoditatem, studio quæsitam, quò solis radii, ne nimium infesti sint, magis arceantur. Verùm enim verò hæc nihili planè erant præ spurcitie & cœno & sordibus quibus plateæ scatent, præ sterquiliniis, præ solitudinibus, quas incendia passim fecerant, præ denique tabernis & ædibus humilibus inornatisque, non è saxo affabrè dedolato, sed è tenuioribus asseribus vel luto sole cocto coagmentatis. Ex antiquis enim *Græcorum* ædibus paucæ admodum hinc inde supersunt, idem fatum cum cæteris ob vetustatem brevi subituræ, quæ satis testantur, quàm pulcherrimis splendidissimisque ædificiis olim superbiret & exornaretur *Constantinopolis*: de privatis ædibus loquor, quarum exteriori cultui parum consulitur. Nullibi hic exsurgunt porticus columnis suffultæ, non postes deaurati, non arborum seriatim depactarum ordines ambulacra ornant terminantque; frustra imagines pictas, sculptas, aut opere coronario elaboratas hîc quæras: areæ, si quæ sint, penitùs deformes, nec juxta canonem dispositæ. Hoc solo discrimine cæteris antecellunt Magnatum ædes, quorum magnificentiam aliunde petendam esse suprà diximus, quòd laxiores sint, portarum prominentiis è variis coloribus, putà minio, cæruleo, croceo, tessellatis. Ex atrio adscenditur in aulam satis amplam, quâ excipiuntur quotquot illos negotiorum causâ adeunt: cubilia angusta, sine aulæis, parietes; quorum vices interdum supplent laterculi, variis florum foliorumque nexibus depicti ac deaurati, opus intestinum rariùs. Aliquot hic *Græ-*

Civium ædes.

corum

corum vetuſtiora ædificia excipio, miræ altitudinis, è lapide cæſo exſtructa, quæ nondum tempus, non *Turcica* barbaries demolita eſt. *Turcis* autem palatia magnifica condendi neque cura neque cupido eſt, tum ut ſtultæ vanitatis & ſuperbiæ notam effugiant, tum ne hac inani opum profuſione invidiam, iram, & odium Imperatoris, quaſi ipſius magnificentiæ æmuli, ſibi accerſant.

Mœnia tum ob craſſitiem tum ob altitudinem neſcio an urbi majori ſint præſidio & munitioni, an decori & ornamento; turribus muniuntur, unde facilè depluat in hoſtes imber plumbeus, ſi qui ea aggrediantur. Quo ea, quæ ad *Propontidem* ſunt, accedant grandiores naves, rupes in longum ex adverſo ſub aquis procurrentes obſtant. Horum partem fluctuum vi vel terræ motu dirutam *Theophilum* Imperatorem inſtaurâſſe inſcriptio hæc, quam paſſim exſtare accepi, teſtatur. *Mœnia.*

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ ΤΩ ΘΕΩ ΠΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΡΩΜΑΙΩΝ.

Idem quoque factum ab aliis Imperatoribus multis in locis teſtantur inſcriptiones.

Sub mœnibus in extremo latere verſus portum terrâ in litore aggeſtâ diſponuntur quinquaginta tormenta bellica, è quibus maximè inclareſcit illud, quod primò contra *Bagdadenſes* curaverit Imperator *Morades*, militibus illic perpetuò excubias agentibus, in palatii ſecuritatem. In alterâ verò *Propontidis* parte rupi in mari ſitæ imminet propugnaculum, (quod *Kizkolaſi*, ſive *turrim virgi-*

neam, vocant) in quâ dulcis aquæ puteus excavatur. E saxis cæsis fiunt, nisi quòd alicubi interveniant lateres & lapides cœmento intermixti; in supremis versus terram mœnibus, quæ triplicia diximus, quidam hiatus, tormentorum impetu in urbe expugnandâ facti, adhuc visuntur, de quibus reparandis minimè cogitant, cum isti eorum oculis quotidie obversantes in memoriam revocent, quàm feliciſſimè suis majoribus illa obsidio tandem cesserit. In his turres quadratæ à se invicem modicùm distant, quarum spatio medio, quasi in trianguli formam, respondent in secundis aliæ. Tertia minis aperturisque, è quibus prospicere licet, destituta, in terram valdè deprimuntur, fossâ extimâ, viginti circitèr quinque passus latâ, hodie oppletâ. Extra mœnia nullæ ædes suburbanæ, unicâ aut duabus prædialibus fortè exceptis, nisi ad portum, ubi excurrit vicus incolis refertus. Tota planities campestris patet, hinc accedentibus ad urbem spectaculum oculis gratiſſimum exhibent numerosæ admodum & pulcherrimæ turres, aliæ aliis superiores, ut dubium sit, an terrâ vel mari glorioſior *Conſtantinopolis* appareat. Has amœnitates oculis avidiſſimis hausisse non semel bisve contentus, totum illud spatium, quod occupant mœnia à *Propontide* ad portum, non sine maximâ delectatione pedibus sæpenumerò dimensus sum.

Porta. Quo ab omni parte quisque majori cum commoditate sine ambagibus urbem hanc, quæ tantâ perimetro circumdata est, ingrederetur, ab instauratore sapientèr provisum erat tot portarum aper-

aperturis. Iis, quæ versus mare sunt, porticuli prætenduntur ac terra acclivior, in quam facilè adscenditur, mediocri litoris intervallo excluso, scalarum instar, unde à *Græcis* & *Francis* dicuntur *Scalæ*, & quò naviculæ & lembi appellunt, ut exinde in terram fiat exscensio. Numero autem sunt viginti quinque, quarum nomina, quibus à *Turcis* hodiè appellantur, licèt fortassè id leve prorsus & nullius momenti censendum sit, cùm à nemine accuratè quod sciam hactenùs præstitum sit, hic juxta situm, quem habent, brevissimè recensebo.

Ad mare *Proponticum*, nimirùm à *palatii* promontorio ad *septem turres* hoc ordine septem occurrunt.

Achor Kapisi, id est *stabularia porta*, propè enim adsunt Imperatoris equilia.

Chatladi, *rupta*. (quasi per incisuram)

Kum, *arenaria*. * *Contoscalium*, sive *parva scala*.

Jeni, *nova*.

Daoud Basha, *Davidis Bassæ*, cujus nomen ob expensas curamque in eâ reficiendâ collocatam ipsi fortè inditum erat.

Samathia, ex *Græco* aliquatenus corruptum videtur.

Narli, *malogranati*.

Versus terram à *Propontide* ad sinum septem, quæ Occidentem spectant.

Jedicola, *septem turrium*, in extremo muro Australi: quod à quibusdam, linguæ *Turcicæ* ignaris,

* Κονδοσκάλι, *ubi olim νεώριον*. *Inscriptionem adhuc manentem vide apud* Gruter. CLXIX. 3.

soni affinitate deceptis imperitissimè in *Janiculum* pervertitur.

Seliure, qua *Selymbriam* itur.

Top, *tormentaria*, sive * *S. Romani*, non *Romana*, quasi ad *Romaniam* sive continentem *Thraciæ* spectans.

Jeni, *nova*,

Edriane, *Adrianopolitana*, quæ nimirùm eò ducit.

Egri, *torta*, ob tortuosos flexus & obliquationes.

Ivanseri; in planitie, quæ post curvaturam magis introrsùm propiùs sinum attingit. Ratio nominis, quod à *Turcis* impositum fuisse certum est, incertissima videtur. Aliqui *Iyubanseri* scribi oportere contendunt, quem *Jobum Medinensem Ansarienſem* dictum; (quo nomine quotquot *Mohamedi* bello & armis suppetias tulerint in *Alcorano* nuncupantur) utpote ipsius Vexilliferum, alii Monachum *Christianum*, qui unà cum *Bessarione* ejusdem instituti viro religioso, propè in cryptis tenebricosis *Ascetica* vitæ vacavit, esse statuunt. Quorum illic sepultorum piæ memoriæ sacellum nunc in *Moscheam* conversum dicabatur; inde in posteriori nominis parte ad ἅγιον Βησσαρίωνα *Aivasari* allusum esse fingunt, πῦ γ extrito inter pronunciandum, sicut magnificum illud templum *Sanctæ Sophiæ Aja Sophia* hodie nuncupant *Turcæ*.

Ad sinum *Ceratinum* undecim, quæ Boream respiciunt.

Balat, *Palatina*, quâ ad *Constantini* palatium adscenditur; in extremo ferè illius recessu, in

* v. *Chronicon Constant.* apud *Cresium* in *Turco-Græcia*, p. 9.

quem

quem evolvuntur duo fluvioli, *Cydrus* & *Barbyses* Veterum.

Petri, *Sancti Petri*, ob templum ejusdem nominis olim contiguum.

Phanar, Φανάεσον, seu *laternaria*, hâc in urbem irruperunt *Turcæ*; duplex autem hîc exsurgit murus duplexque porta, in litore altera, altera in clivo, à civibus obsessis, cùm in priori defendendâ desperassent, tumultuariò condita, hinc adhuc apud *Græcos* retinetur nomen διπλοφανάες.

Gebali, *montana*, vel, ut alii efferunt, *Giob-ali profundi putei* porta; porta *Jubalica* à quibusdam corruptè nuncupatur.

Unkaban, *farinaria*, propè copiæ annonariæ in cellis penariis reconduntur.

Odun, *lignaria*, Ξυλοπόρτα in *Blachernis*; suprà monastichum hoc adhuc legitur, μνήμη Θανάτου χρησιμεύει πῶ βίῳ.

Temish, *fructuaria*.

Baluk bazar, *fori piscarii*. Ψαροπώλιον, sive *porta piscaria*.

Balkaban, *mellis porta*, prope quam veneunt vascula illius plena, bilance appensa.

Zindan, *carceraria*.

Bahchia, *hortularia*, prope palatium Imperatoris, non *Basha*, quasi solis *Bassis*, uti malè fingitur à quibusdam, noctu aperienda esset.

Quælibet ædes ampla, si paulò magnifica sit, à *Turcis* nuncupatur *Serai*, nomine hoc *Persico* ad vulgarem usum traducto, licèt id à plerisque *Occidentalibus* ad Imperatoris palatium, terminatione additâ *Seraglio*, restringatur, de quo cùm *Palatium Imperatorii.*

Turcæ verba faciant, hoc modo distinctè efferunt, *Padishah Serai*, id est *Imperatoris palatium*. Situm est in summo promontorii vertice, in extimo sinûs *Galatam* à *Constantinopoli* dividentis litore, *Bosporum Thracicum* ab Oriente habens, cujus aquæ rapido impetu, alveo obliquè se habente, ipsum feriunt, ut naves, cessantibus vel lenitèr spirantibus ventis, quibus illud quasi æstuarium regatur, sæpenumerò in rupes & vada impingant. Muris urbis duo ipsius latera, quæ à mari & sinu alluuntur, cingentibus, alius ad terram excurrit, turribus quadratis quoque munitus, ut propugnaculi speciem præ se ferat. Hic olim vetus *Byzantium* stetisse credibile est, primis incolis, uti fit, ob commoditatem sinûs propè degentibus; quorum ædes pro aucto civium numero ulteriùs in terram excrevêre, uti posteà succedentibus seculis Collegium religiosorum virorum, qui sacra munia obibant in templo *S. Sophiæ*, fuisse pro certo habetur. Diu autem erat, antequam Imperatores *Turcici* has ædes in propriam sedem vendicaverint; expugnatâ enim urbe, relicto *Græcorum* Imperatorum palatio, vel quod in illâ, quam passa est universa urbs, strage non integrum illæsumque permanserit, vel mali ominis vitandi causâ, aliud, ferè in civitatis centro, eligendum condendumque censuêre, quod hodiè nuncupatur *Eski Serai*, id est *vetus palatium*, quo defuncti Imperatoris fœminæ tanquam in carcere clauduntur, nunquam dimittendæ, nisi, quod aliquando fit, Magnatibus, quibus maximè favet Imperator ille, qui succedit, ipsas nuptum det: vel quod maximè

mè ſolenni menſis *Birami* feſto in palatium alterum ingredi permittuntur, Reginæ *Haſaki*, ſive *primariæ*, Imperatoris feminæ obſequium & reverentiam delaturæ.

Viginti ſtadia ambitu ſuo complecti videtur, quod ſpatium non continuis ædibus, ſed hortis areiſque ampliſſimis occupatur. Porta ordinaria, quâ itur ad palatium, cùm cæteræ non niſi rariſſimè aperiantur à Janitoribus, (*Capigiler*) quorum clypei, haſtæ, bombardæque illic in omnem uſum pendent, in ingentem altitudinem effertur, cui par amplitudo non reſpondet. Hujus paraſtades muniunt duæ columnæ è craſſiuſculo marmore; hinc patet area, tercentum paſſus longa, triente minus lata: à ſiniſtrâ rotunda *Græcorum* eccleſiola, quam conſentiens fama olim ſacrarium *Sanctæ Sophiæ* fuiſſe tradit, nunc armamentarium, adhuc exſtat; & propè amplæ ædes *Agiamoglanis*, qui viliſſima quæque miniſteria obeunt, recipiendis deſtinatæ: à dextrâ continuò procurrit noſocomium, quo ex interioribus palatii deferuntur valetudinarii. Ad ſecundam portam, à Janitoribus quoque cuſtoditam, ſupra quam formula fidei *Mohammedicæ* amplioribus aureis characteribus *Arabicè* inſcribitur, quæ in aliud atrium ducit, de equis deſcenditur. Nemo enim, niſi pedeſter, præter Imperatorem, illud ingredi poteſt; mihi hic omnia placuêre, ordo, magnificentia, pulchritudo. Quadrangulum enim eſt, ſingulis lateribus ad bis centum paſſus extenſis, quæ undequaque ambit porticus plumbo tecta, ſeptem circitèr paſſus ampla, in fornices columnis è

mar-

marmore *Thebaïco* suffultos pari intervallo divisa, quarum bases & prominentiæ supra scapum æneis circulis colligantur. Variis platanorum cupressorumque ordinibus distribuuntur ambulacra, in quorum medio fons eminet, placido murmure aquas ebulliens. In atrii extremitate à lævâ judicatorium est, *Divan Turcicè*, quod *Vizirius* primarius, vel si abesse contigerit, *Caymacamus* urbis Gubernator, quatèr singulis hebdomadibus adit, magno militum & apparitorum numero stipatus. *Kadiliskirios* alioque in enodandis juris difficultatibus versatissimos Assessores habet, quorum suffragiis & consilio in causis, cognitionibus, postulationibus, libellisque examinandis usus, quamlibetcunque litem formalitèr citra appellationis remedium statuit decernitque. Camera duobus fornicibus innitens pavimento sternitur marmoreo, ad libellam cum areâ ferè complanato; scamno paulò elevatiori, quod extremo parieti affigitur, imminet fenestra, ubi Imperator, quandocunque ipsi lubet, à nemine conspectus sedet, de re aliquâ penitiùs cogniturus.

Divanum.

De alienis negotiis (uti id obiter & quasi loco non suo hic annotatum habeas) non sunt adeò soliciti *Turcæ*, ut ea curent, unde neminem foro adesse moris est, nisi quem lites huc trahant, nec permittunt Judices, ut quispiam otiosus intersit. Hos enim tanquam exploratores & nequitèr curiosos abigunt. Quosdam *Francos* illic stare ante paucos annos vidit pro tribunali sedens primarius *Vizirius*, (is erat *Mohammedes Kupriulius Achmetis*, qui *Candiam* expugnavit, pater) de ipsorum postu-

postulationibus interrogat, *se solâ videndi gratiâ illic intrâsse* respondent; quibus ille excandescens, *Putatisne nos esse simias, ut huc spectatum veniatis?* Expelluntur protinùs, & parum aberat, quin singuli in curiositatis suæ pœnam fustuario mulctati fuissent. Quo de ejusmodi periculis mihi caverem, simulatam litem *Judæo* cuidam *Smyrnensi* intentandam curavi; ideo audaculus accessi cum Interprete nostro primario, illud fictitium meum jus expetiturus. Postulationi, quam æquissimam fingebamus, faciles & sine morâ annuebant. Quo artificio ipsos elusimus, quod nobis non pluris constitit, quam centum circiter aspris Actuario pro more ob chartam obsignatam datis. In aliis palatii appendicibus describendis non est quod te morer. Quicquid ultra portam tertiam continetur, *Christianos* latet. Quod extra apparet, licèt id non sit architectonicis regulis prorsùs congruum, magnificum videtur, pinnaculis deauratis turribusque fastigiatis illustre. In clivo montis decurrit ingens ædium à mari facilè spectandarum ordo, hortique longo tractu protensi litori objacent. Sed de his hactenus; cætera enim quæ prudens omisi; à plerisque Scriptoribus facilè petenda sunt.

Quò Mercatoribus cæterisque advenis, qui qualicunque de causâ urbem petunt, meliùs subveniatur, iis recipiendis, cùm id humanitatis & officii alitèr à privatis hominibus frustrà sit expectandum, passim exstruuntur in plateis insignioribus publica hospitia, ad usum magis quàm ad pompam, quo se divertere possint. Nemo ab his, qua- Chanler, *sive* amplæ ædes, *Mercatorum & Peregrinantium causâ exstructæ.*

qualeſcunque religionis ritus colat, excluditur. Nomina autem à conditoribus, vel à peculiari mercium, puta ſerici, oryzæ, &c. quibus tanquam in apothecis reponuntur, genere ſortiuntur; è quibus duo cæteris antecellere videntur: alterum ab Imperatoris, qui hodiè imperii *Turcici* habenas moderatur, matre propè *Moſcheam* ſuam ad ſinum, alterum à *Kupriulio Vizirii* hodierni parente in *Taouk bazar*, ſeu *gallinæ foro*, conditum. Omnium eadem forma eſt, idemque uſus. E ſaxo cæſo plerunque conduntur; aream mediam, quæ in quadrum extenditur, non rarò occupat *Moſchea* una cum fonticulis; anguſtis cubiculis tota, etiam in inferiore parte, ambitur, cùm in antiquioribus totus ambitus ſub eodem tecto ſine tabulatis & parietibus intergerinis pateat. Projectura levitèr ſtrata ab omni parte muri excurrit, ſuperficie terræ ſeſquipede elevatior, ſeptem circitèr pedes lata; in cujus extremo ad duodecim pedum intervallum circumcirca eriguntur camini. In cavitate verò inferiori propè ſtabulantur equi. Sed quod ad diverſoria, quæ uſibus Peregrinantium magis ſunt accommodata, à primo aditu ſaxeis utrinque ſcalis adſcenditur in porticum; parem cubiculorum numerum à latere habentem, quæ ab extremo ad extremum circumcirca pertingit.

Bezeſten, ſeu forum rerum pretioſarum venalium.

His proximè cedit forum ingens, quod *Bezeſten* dicitur, figuræ quadratæ. Hic linteum, pannus, ſtragula, pelles zybellinæ, cæteræque quantivis pretii merces veneunt: muris clauditur ſaxeis, atrium officinis ſibi invicem, modico interval-

vallo,

vallo, quo itur, relicto, oppositis intercluditur. Hoc autem *Prusiano* amplitudine & ornatu longè inferius mihi videbatur.

Balnea. Cùm mundities, quam assidua lotura expo-scit, sit præcipua pars religionis *Mohammedicæ*, nec minus valetudini firmandæ in his regionibus conducat, balneis publicis plebi, hic uti in quavis urbe celebriori, hac ex parte benefit. Materia autem, ex quâ constant, utpote marmorea, figuraque, quâ supra viliſſimas ædes in tholum assurgunt, illis non parum nitoris & ornamenti conciliant. In exteriori atrio, spoliario nimirum, quod opertum est, fontem circumambit murus lateritius storeis stratus, quo vestes loturi exuunt; inde per angustum vestibulum ad amplam cameram transeundum est, quam ob tholum sphæricam dixerim, nisi quòd in varios sinuetur & excurrat angulos, in quibus tanquam in receſſibus excavantur sedilia. Quamprimùm acceſſeris, non nisi cum difficultate respirandum est, spiritu calidis aquæ hypocausti per siphunculos immissæ halitibus penè oppresso; qui adeò crassè exspirant, ut à tecti fastigio, ne penitùs avolent, impediti, reflectantur, & densiores facti, gúttatim decidant.

Moschea. De præfinito *Moschearum*, quæ singulis ferè plateis urbis lociſque circumjacentibus occurrunt, numero certò non mihi constat; in assignandis rerum, ut solâ conjecturâ fit, quæ simul confusæ oculis obversantur, numeris sæpè excessu erratur. Quod nescio an mihi ex parte contigerit, dum vulgarem calculum, quem jam reductum

habes,

habes, in superioribus epistolis apposuerim. De iis autem, quæ ab Imperatoribus conditæ ob amplitudinem capacitatemque nuncupantur: *Giamesler*, (cum *Mesgid* sit nomen generale, quod *locum sacri cultus & adorationis* denotat, & minora quæque oratoria & sacella comprehendit) maximè gloriantur *Turcæ*. Horum laudibus decantandis strenuè incumbunt, qui religioni tam splendido apparatu ingentibusque sumptibus consuluerint. Hinc mentis erga cultum *Mohammedicum* zelus ardorque apud ipsos emicat; hinc rei militaris prosper eventus indicatur, cùm à multis annis invaluerit, id nemini, nisi, qui cum *Christianis* aliisque *Turcici* nominis hostibus bellum feliciter confecerint, permissum iri. Ita Imperatoribus à *Muphtio* aliisque suæ religionis mystis subdolè persuasum est, ut odium, quod contra *Christianos* alunt, hoc famæ stimulo magis acueretur. Imperium novæ provinciæ auctario ampliandum est; ereptis urbibus & propugnaculis *Christianorum*; fines ipsius extendendi, antequam quispiam novum templum se moliri posse speret, spoliorum utpote pretio condendum, dotandumque reditibus è terris, quæ sorte belli in peculium nupèr cessêre. His regiis fabricis maximè superbit *Constantinopolis*, harumque magnificentiæ præcipuam gloriam, quam hodiè jactat, acceptam refert. Eminùs conspiciuntur, sitæ super montes in dorsum promontorii projectos, qui licèt non rectà procurrant, tamen curvaturam illa altitudo tantoperè imminuere videtur, ut non obstet quo minùs celeri oculo aliquis eos percurrat.

Basilicæ.

Tem-

Templa autem hæc regia numerantur octo, quorum ordo hic est.

Aja Sophia, *Sanctæ Sophiæ* templum; hoc enim nomen, quod primo inditum erat, hodie retinetur.

Achmetis, in hippodromo in planitie ejusdem montis situm.

Bayazidis.

Suleimani, prope vetus palatium Imperatorium.

Shahzadeh seu *filii Imperatoris*, quod in memoriam filii primogeniti *Mohammedis*, quem è quadam feminâ *Roxolana* natum & *Magnesiæ* Præfectum in summo juventæ ardore illic exstinctum maximo affectu etiam mortuum prosequebatur, exstrui curavit idem *Suleimanus*.

Mohammedis, qui urbem debellavit. Templum olim *Christianum*, *Apostolorum* memoriæ dicatum, quo quàm plurimi è *Græcis* Imperatoribus sepulti jacent.

Selimi, patris *Suleimani*, qui *Mamlucorum* imperio everso exstinctoque *Ægyptum* sub jugum misit.

Denique aliud *Mohammedis* templum, quod *Phatih*, id est *expugnatoris*, peculiari nomine nuncupant, (ad discrimen hujus ab altero) olim *Beatissimæ Virgini* consecratum, quod *Gennadio Scholario* in *Patriarchum* post expugnationem urbis ab ipso concessum, pòst levi prætextu ereptum suo nomine insigniri placuit.

S. Sophiæ templum, quo sæpiùs ingredi contigerit, eo magis magisque obstupescendum ob mirabilem ipsius architecturam videbatur. Artis penè miraculum, ipsiusque maximum conatum meri- *S. Sophiæ templum.*

tò dixerim hoc *Juſtiniani* Imperatoris opus, quod ex elegantiſſimo *Procopii Cæſarienſis* de *ædificiis* illius libro neutiquam quoad ambitum imminutum videtur, prout aliqui neſcio quibus conjecturis inducti id ſibi perſuaſum voluêre. Quali autem formâ hodiè viſendum ſit, licèt parùm accuratè & mathematicè, juxta ideam, quam frequenti viſu in mente meâ conceperam, hic breviſſimè exhibebo. Ante templum porticus magnifica ad Occidentem totam ipſius latitudinem à Borea ad Auſtrum metitur: huic aditum præbet ab extremorum alterutro porta ex ære inciſo opere curioſè elaborata; in illius autem, quæ regiam collis viam propiùs ſpectat, valvis variis circellis anni ἀπὸ κτίσεως ſive ab *orbe condito* juxta computum, qui non minus ac *æra Dominica* apud *Græcos* olim invaluerit, inciduntur: quorum numerus mihi penitùs excidit è memoriâ. Interea oppoſito quinque exſtant portæ craſſiuſculis fulgidiſſimi æris laminis obtectæ, in navem ducentes. Tota longitudo templi eſt centum ferè viginti paſſuum, amplitudo verò duplo paulò minor. Fabricam arcubus innitentem tres ordines columnarum, quarum baſes & epiſtylia ſpiris æreis circumcinguntur, ſuffulciunt, non unius ſpeciei & coloris; hinc enim marmor *Ophiticum*, illinc *Porphyreticum*, alicubi *Alabaſtrites* oculos adſtrinxerunt perculeruntque. In medio in ingentem altitudinem erigitur hemiſphærium, quod columnæ quatuor, ad Septentrionem duæ, duæ ad Auſtrum ſuſtinent. Ingentem verò hunc tholum plures ejuſdem formæ minuſculi ambiunt, alii aliis ſuperiores. Exporri-

porriguntur utrinque ſacella ſeu ædiculæ, figuræ oblongæ, quas varius columnarum ordo multiplexque diſpoſitio efficiunt. Per cochleam ſaxeam mollitèr ſurgentem, quam quaſi in tot gradus eminentiæ inſtar ſtrigarum tranſverſim extuberantes dividunt, adſcenditur in ſuperiorem porticum, quam *Anglicè gallery* appellamus, tria templi latera implentem. Ad Orientem enim utrinque terminatur. Illa pulcherrimis quoque columnis, licèt non ejuſdem craſſitiei cum inferioribus, ornatur, viginti meos paſſus lata, oppoſitis lateribus in eandem, quam habet inferior templi pars, longitudinem extenſis. Inde liber in templum ſubjectum deſpectus, feminis olim, cùm ſacris officiis intereſſent, * has ſedes, uti videtur, occupantibus, ſeorſim nimirum à viris, quod apud *Græcos* hodieque obtinet. Pavimentum, tum quod templi ſolum, tum quod porticum tegit, marmoreum eſt, non in fragmenta minora, ſed laminas menſaſque amplas diductum. Parietes è lateribus coctis ab omni parte marmore incruſtantur. Laquearium concamerationes olim ornârunt curioſæ figuræ, operè *Muſivo*, quod è continuo teſſellarum calculorumque ordine componitur, factæ, hodiè deformatæ, *Turcis* ex innato imaginum odio, quo in ipſas debacchari ſolent, illarum oculos eruentibus vultumque deturpantibus; è reliquiis autem, cum tota litura non inducatur, operis artificium & pulchritudinem contemplari licet, deque hiſtoriis ſacris, quas exhibent, cuipiam paulò accuratiori obtutu in ipſas in-

* Γυναικῖτις. v. Codin. *de origin. C. P. ex edit.* Lambecii. *p.* 66.

tuenti veram facere conjecturam difficile non erit.

Templi *Sophiani* formam, cum ob pompam & nitorem, tum ob amplitudinem, quam figura exhibet, *Turcis* perplacuisse hinc constat, quod ad illius modulum alia erigenda curaverint: à quorum minutiori descriptione, etiamsi hâc de causâ mihi supersedendum sit, pauca tamen de magnificis præclarissimisque *Moscheis*, quæ *Suleimani* & *Achmetis* nominibus insigniuntur, annotare non pigebit.

Moschea Suleimani. In medio, quo illius templum circumcluditur, atrio eminet peramplus fons, desuper obtectus, figuræ quadræ, opere curioso elaboratus. Porticum ornant columnæ, pavimentum verò ejus lamina (si fas sit dicere) *Porphyretica* instar mensæ strata & diducta. Tholum suffulciunt quatuor ejusdem marmoris columnæ, quarum scapus, ubi maximè tumet, viginti circiter pedes in ambitu complectitur, *Christianæ* ecclesiæ spolium, non enim eo usque altùm assurgit *Turcarum* ingenium, ut de tali artificio gloriari possit.

Achmetis. In hujus templum duodecim gradibus saxeis adscenditur, fores aheneæ mirâ arte inciduntur: quatuor testudinis arcubus, uti in aliis, totidem ingentes columnæ supponuntur. Illæ autem planè factitiæ sunt, utpote non è nativo marmore è lapidicina eruto cæsoque, sed artis fusoriæ beneficio conflatæ & coagmentatæ. Harum ambitus viginti circiter sex passus continet, quod circumeunti constabat: neque enim alio modo eum metiri ausus sum, ne *Turcis* in rimando hoc templo

plo nimiùm & malè curiosus viderer. *Jeni*, id est *novum*, hodieque audit, appellatione apud vulgus longo usu inveteratâ, licèt pulcherrimum & admodum celebre templum ad sinum juxta portam hortulariam Imperatoris, qui hodie regnat, matris, gente *Russæ*, & sacerdotis filiæ, sumptibus ante paucos annos conditum fuerit. Quæ hic cum cæteris regiis communia sint, paucis describam.

Cæterarum grandium Moschearum generalis descriptio.

Pluribus portis itur ad atrium, muro saxeo ampli circuitus circumdatum; propè adsunt fontes vel aquæductus minores longo siphonum ordine distincti ad usus sacros; nemo enim illotus, cui religio curæ & cordi est, precabitur. A latere xenodochia & porticus arcuatìm exstructæ, eminentibus earundem sphærulis, quæ plumbo tectæ rectâ lineâ extenduntur: turres cylindraceæ, *Menar*, instar columnarum sunt quatuor, (excepto illo *Achmetico*, quo sex numerantur) è quibus populum de sacro cultu peragendo monent, adque templum altâ voce, immissis in aures digitis, ne clamore isto incondito terebrentur, invitant sacerdotum ministri. Hæ ædibus contiguæ in solo profundiùs figuntur, quarum in oppositis angulis situs quadrum efficit. Unamquamque triplex quasi podium, ad tres circiter pedes projectum, circa quod quaquaversum itur, cujus aditus objacet *Meccæ*, circumambit. Summitates turrium auro depictæ instar pyramidum fastigiatìm desinunt, quibus supereminet lunæ falcatæ ejusdem coloris figura, quo *Mohammedanorum* insigni quælibet sacra ædicula superbit. Templorum pa-

rietes interdum Dei, interdum *Mohammedis* ejusque sociorum nominibus, interdum formulâ illâ, quæ fidei apud ipsos summam comprehendit, inscribuntur. Pavimentum aut elegantissimæ contexturæ storeis aut tapetibus sternitur: nemo autem, nisi calceis exutis, loca sacra ingredi audet. Ingens lychnorum pensilium è chrystallo numerus, intermixtis pilis vitreis & eburneis, ferreis circulis affigitur, qui solâ nocte accenduntur, quo tempore lumen inde & ab arcubus & columnis plurimum reflectitur, ut totum illud quod interius est ignescere videatur. Pegma, in summitate angustum, ad quod gradibus adscendit sacerdos, *Alcoranum* coram populo lecturus, aut concionem habiturus, eminet: & in muro versus Euroaustrum paulum excavato ingens cereus candelabro infixus ab alterutrâ parte collocatur: versus enim hunc cœli cardinem, sub quo *Mecca* jacet, vultum inter orandum obvertunt.

Prope visuntur ædiculæ (*Turbeh*) ejusdem muri ambitu conclusæ, fundatorum reconditoria; nemo enim apud *Turcas* in templis sepelitur, ne Imperatores quidem. Fiunt è marmore candido, inque parte inferiori in figuram polygonam excurrunt, at supra in tholum desinunt. Parietes quandoque omni ornatu nudi sunt, non rarò autem emblemate vermiculato constant. Intervallum illud, quo sandapilæ marmoreæ, quinque pedum altitudine, supra pavimentum storeis vel tapetibus stratum exstant, cancellis ferreis rostratis circumambitur: duobus ingentibus cereis in candelabris illic affixis. Sepulchralia capula Imperato-

ratorum, corporibus inclusis longè ampliora, panno sericeo coloris plerumque spissiùs virentis, cui aurum intexitur, præcipuè in fimbriis, teguntur, tiaris, quas singulis annis novis appositis tollunt in extremo paulò elevatiori altero, cui subjiciuntur capita supereminentibus. Fœminæ juxta cubant, harum capula minora quidem, & depressiora vestis purpuracea aut hyacinthina obtendit supersternitque. Liberorum eodem septo circumcluduntur loculi, pro ratione ætatis variæ magnitudinis. Quotquot ex filiis jussu fratrum pro barbaro & iniquissimo more, quo imperium, quod ineunt, sibi securius diutiusque retineant, faucibus à fidiculis elisis enecabantur, circa bacillum, cui fascia circumvoluta adhæret, sudariolum præcipitatæ & funestæ mortis indicium gerunt. Hæc sacella sacerdotes paupereſque eleemosynarii tum viri tum feminæ, pro animabus eorum, reditibus in illos fines collatis, ex instituto quotidie oratum adeunt. Hujusmodi plures ædiculæ sepulchrales *S. Sophiæ* templi latera ferè contingunt; illic sepultus *Selimus* filius *Suleimani* cum triginta septem liberis stipatus; illic *Amurates* III. sed cum numerosiore prole: è liberis enim, quos sustulit, quadraginta quinque juxtà sepeliuntur; illic *Mohammedes* quoque III. illic *Mustapha* & *Ibrahimus*, hodierni Imperatoris ille propatruus, hic parens, pari fato ad imperium evecti, sed exemplo rariori, pari quoque eo exuti, vitâ & morte perquàm similes, uterque fatuus & insulsus, uterque paritèr tantæ dignitati impar, sub eodem contumulantur tecto: uti non

longè à templo *Achmetis*, quem patrem habuêre duo fratres *Osmanus* & *Amurates* illius nominis postremus, ambo bellicosi Imperatores, qui militiam degenerem ac otio & luxurie corruptam ad veteris disciplinæ normam reductam cupiêre, ille autem seditione & tumultu *Janizzariorum*, quibus ob expeditionem *Polonicam* malè gestam adeò acriter infensus erat, ut de iis exterminandis ac universim delendis, ac de novo militum ordine instituendo, animo secum statuisset, hic morte repentinâ, quam adscivit crapula, cui se nimiùm indulserat, præventus.

Matris Mohammedis expugnatoris.

Præcipuè verò matris *Mohammedis*, cognomento *Magni*, *Lazari Serviæ* Principis filiæ, sepulchrum invisendi ardor & desiderium me incessit. Illa enim fidem *Christianam*, quâ educata erat, ad mortem usque constantissimè & religiosissimè retinuit, nullis mariti, nullis filii blanditiis expugnabilis: cujus fama adhuc in *Turcarum* memoriis etiamnùm viget, ut dum prope *Mohammedis expugnatoris* templum hic illic versatus, de eo adeundo solicitus essem, quamplurimi eorum, qui fortè aderant, illam esse *Christianam* aperto ore non rogati dixerint, ipsius sacellum digito indicantes. Quod planè inornatum reperi: ab hoc abhorrent *Turcæ*, pauperes autem *Christiani* statis temporibus frequentes adeunt, quibus prò more eleemosynæ suppeditantur.

Bassarum.

Bassæ intra pomœria urbis suis in fundis, quos emerant, subinde sepeliuntur; licèt hoc perrarò fiat, & iis solis honori & gratiæ datum est in memoriam virtutis bellicosæ, consiliorum, & munifi-

nificentiæ, qui de Imperio præclarissimè meriti fuerint: è quorum numero duo mihi in memoriam, dum hæc scribo, occurrunt; illustris ille & strenuus vir *Ibrahimus Bassa*, qui filiam *Suleimani* Imperatoris in uxorem duxerat, cujus laudes in *Annalibus Turcicis* insulsè efferuntur, & *Kuprius* non ita pridem *Visirius* supremus, cui filius *Achmetes*, exemplo prorsus anteà inaudito, in administrandâ rerum summâ successit, quos Imperii *Turcici* Statores merito dixeris, sepultus ille prope *Suleimaniam*, hic è regione *Moscheæ*, quam condidit in *Taouh basar*, sive *gallinæ foro*. In suburbiis verò ad Occidentem quamplurima aliorum Magnatum sacella exstruuntur, quorum magnificentiæ densi cupressorum, quæ interseruntur, ordines pulchritudinem & nitorem abundè conciliant. Ante omnia illic eminet *Ejubi Sultani*, qui apud *Turcas* ob insignem pietatis famam maximo in honore est, sepulchrum, clathris ferreis, ut in cæteris fieri solet, circumdatum, magnis cereis utrisque sandapilæ extremitatibus appositis: de cujus zelo & operâ, quam in religione propagandâ defendendâque impendunt, quamplurima fingunt fabulis ineptissimisque anicularum nugis quàm vero longè propiora. Unus è Signiferis *Mohammedis*, ut suprà innui, ab aliquibus creditus est, ab universis Propheta & Martyr, cujus cadaver, post expugnatam urbem, hic humatum terrâ effossâ non sine miraculo detectum fuisse ridiculè & prodigioso ἀνισοφυσίας vitio pertendunt: hinc illa veneratio, quam ipsi impendiò exhibent; ortum ducit: hinc magnificus ille tumulus *Ma-*

Ejubi Sultani.

*ſchea*que cognominis. Eodem autem loci vel ſaltem proximè, ſacellum *Sancti Mamantis* olim memoriæ dedicatum fuiſſe è *Procopio* certiſſimum eſt.

Adjacet atrium periſtylio ornatum, in cujus medio exſurgit ſuperba moles, quam novus Imperator adit boni ominis gratiâ, quaſi hújus venerandi loci adſpectus zelum pro eâdem fide animoſiùs pugnandi inderet, per gladii cinćturam, aſſiſtente *Muftio*, inaugurandus. Hic quoque Imperator, ſi adſit *Conſtantinopoli*, magnâ *Baſſarum* ſatellitumque catervâ ſtipatus, pro more ſolenni ſingulis annis, ineunte feſto *Birami*, ſe conferre ſolet.

Camera ſive ædes Janizzarorum.

Ex inſtituto vitam ſimul agere tenentur *Janizzarii*, nullis bellis eos foràs evocantibus, ut ſeditione ortâ, vel quæcunque alia occaſio tulerit, quàm citiſſimè conglobati arma ſub iiſdem vexillis capeſſant; quibus recipiendis duo ampla ædificia (*Odaler*) deſignantur, non longe à ſe invicem diſſita. Continent autem longum pulchrumque ædicularum ordinem, quarum latuſcula teſſerulæ argillaceæ vario colore tinctæ ornant, pavimentum ſaxis cæſis ſternitur; utrinque ſub imbricamento, quod longiuſculè protenditur, ſedes, in quarum extremitatibus pilæ æneæ affiguntur, prominent. Ab his abeſſe cuilibet ferè, ſi libet, licet, conniventibus Præfectis & muneribus corruptis; diu enim eſt, ex quo, ſenſim obrepentibus otio & luxurie, vetus diſciplinæ militaris rigor exoluerit, militibus jam artibus manuariis, quo ſibi familiiſque ſuis meliùs proſpectum ſit, addi-

addictis. In horum medio adjacet templum *Orta Giamè* (quod nomen sonat) *Janizzaris* peculiare, ubi etiam urgente aliquâ imperii necessitate in communi ab iisdem consulitur.

Quæ de propugnaculo in extremo urbis angulo versus *Propontidem*, quod à septem turrium numero nomen habet, superiùs relata sunt, non opus habeo repetere. Carcerem magnificum *Acropolim* hanc dixerim, cui usui hodiè inservit; hic enim nobiles è *Christianis* viri bello capti includuntur; licèt autem paucos præsidiarios in se milites recipiat, nulla tormenta, nullumve bellicum apparatum, quantum vidi, habet. Quod partim socordiæ, partim securitati *Turcarum* imputandum videtur, qui in his regionibus altâ pace fruentes arces contra quamlibet machinationem hostilem de facili muniendas turpissimè negligunt. In horto sub dio *Husaini*, cognomento *Delli*, id est *insani* seu *furibundi*, ob acres animos & ferociam, quam in bello ostentaverat, supremi *Janizzariorum* Præfecti eminet sepulchrum, qui jussu *Vizirii Candiæ* strangulatus periit. Ita viro forti, quem invidia sustulit, magnificè parentatum est. Ἐπτα-πέργιον.

Anxius quæsivi basilicas, theatra, porticus, horrea, thermas, tribunalia, ecclesias, quibus hæc Imperii sedes olim eminuit, sed irrito planè labore. Inde mirari primùm subiit, è tot monimentis, quæ è *Roma* cæterisque *Italiæ* civitatibus transtulerat *Constantinus*, augendæ urbis gloriæ quàm maximè intentus, aliique erexerant Imperatores, non plura supereſſe. Dum vero tempo- *Monimentorum veterum reliquiæ.*

ris,

ris, quòd vel saxa comminuit, edacitatem, dum urbem diriſſimis terræ motibus ab antiquo obnoxiam fuiſſe, dum denique *Turcas* in eam non minus ac in cives sæviiſſe penitiùs animadverterem, de paucis his veteris magnificentiæ reliquiis, quæ, licèt penè omnes mutilæ & laceræ, *Turcis* barbariem meritò exprobrant, & temporis fatique ſpolium & triumphus non eſſe videntur, urbi gratulabar.

Hippodromus. Circus ſeu hippodromus (*Turcicè Atmidan*) ob ſpatium largius exporrectum explicatumque non ſine mirificâ oculorum delectatione adhuc viſitur, longus utpote ultra quingentos quinquaginta paſſus, plus quàm vero centum viginti latus.

Columna cremata. In ipſius extremo columna hodiè exſtat, quaſi ſtadii meta, ſed illa incendii vim paſſa rimas agit, inde dicta *columna cremata*, quam alii vocârunt *coloſſum ſtructilem*: in cujus baſi inſcribitur hoc hexaſtichum:

ΤΟ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΘΑΥΜΑ ΤΩΝ ΜΕΤΑΡΣΙΩΝ
ΧΡΟΝΩ ΦΘΑΡΕΝ ΝΥΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ
Ο ΡΩΜΑΝΟΥ ΠΑΙΣ ΔΟΞΑ ΤΗΣ ΣΚΗΠΤΟΥΧΙΑΣ
ΚΡΕΙΤΤΟΝ ΝΕΟΥΡΓΕΙ ΤΗΣ ΠΑΛΑΙ ΘΕΩΡΙΑΣ
Ο ΓΑΡ ΚΟΛΟΣΣΟΣ ΘΑΜΒΟΣ ΗΝ ΕΝ ΤΗ ΡΟΔΩ
ΚΑΙ ΧΑΛΚΟΣ ΟΥΤΟΣ ΘΑΜΒΟΣ ΕΣΤΙΝ ΕΝΘΑΔΕ.

Olim

Olim *columna crucis*: fortè ea, quæ * juxta ædem XL. Martyrum à *Phocâ* anno septimo erat erecta, cui *Heraclius* crucem imposuit.

Integer autem exstat obeliscus, è marmore *Thebæo*, ob animalium figuras aliasque delineationes ab *Ægyptiis*, qui hujusmodi involucris Philosophiæ & Religionis arcana & mysteria (quantilla, & quàm tantis ambagibus indigna!) occuluerant, lateribus insculptas, à nostris *columna hieroglyphica* dictus. Quadrus est, basi ejusdem figuræ impositus, latera efficiunt totidem triangula, quæ quo magis elevantur, eo fiunt contractiora, usque dum in conum desinant. † Moles ingens est, & quod mirêre, quoad se totam absque aliquâ partium ferrumination integra, ut in eâ, cum olim humi dejecta jaceret, super stylobaten iterum reponendâ non parum sibi gloriæ inde derivandum duxerit *Theodosius* Imperator, ut testatur duplex epigraphe, in Occidentali latere *Græca*, in Orientali *Latina*, quasi ipse solus hoc tum moliri tum perficere potuisset. Sua mole deprimitur obeliscus subtus terram, ut inscriptiones in infimâ parte incisas perlegere non sit integrum; cum verò in omni ferè itinerario *Constantinopolitano* exstent, quidni hic apponam? quas dum expeditè legebam, pro fatuitate & inscitiâ suâ obstupuerunt *Turcæ*, qui aderant, & qualem haberent sensum, solicitiores facti, cùm à me intellexissent, de re ipsis penitùs antea ignotâ sibi præter morem gentis suæ gratulari visi sunt.

Obeliscus Thebæus.

* *V.* Codin. *de origin. Constant.*

† Κίων μονόλιθος Codino & Manueli Chrysalora;

ΚΙΟΝΑ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΕΙ ΧΘΟΝΙ ΚΕΙΜΕΝΟΝ ΑΧΘΟΣ
ΜΟΥΝΟΣ ΑΝΑΣΤΗΣΑΙ ΘΕΥΔΟΣΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΟΛΜΗΣΑΣ ΠΡΟΚΛΩ ΕΠΙΚΕΚΛΕΤΟ ΚΑΙΤΟΣΟΣ ΕΣΤΗ
ΚΙΟΝ ΗΕΛΙΟΙΣ ΕΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΟ.

Difficilis quondam dominis parere serenis
Jussus, & extinctis palmam portare tyrannis,
Omnia Theodosio cedunt subolique perenni
Ter denis sic victus ego domitusque diebus
Judice sub Proclo superas elatus ad auras.

Columna serpentina. In eodem circo propè exstat columna serpentina ex ære concavo & tortili facta: ad extremum autem illius scapi tria colla capitaque paribus intervallis inter se dissociata quasi exsiliunt inque modum trianguli emicant. Hanc olim ab aliquo Mago (fortè *Apollonio Tyanensi*, quem *Byzantii* aliquantillum mansisse constat) sub peculiari siderum adspectu, quò meliùs à serpentum noxis infestationibusque hâc cognatâ imagine urbs muniretur, prout sentiebat credula nimis antiquitas, elaboratam fuisse à verisimili parùm abludit.

Columna Constantini. Columna *Constantiniana* in gallinæ foro adhuc eminet, sed ne tota compages rimis fatiscat inque terram labatur, ejus commissuras ænei orbiculi constringunt. In scapo enim sunt octo saxa porphyretica, sibi invicem commissa, quorum crustæ ab incendiis nigricant & exeduntur. Hanc è veteri *Româ* huc advehi curavit *Constantinus M.* in

cujus

cujus ſummitate ſui ipſius ſtatuam ex ære conflatam collocavit, poſt à longo tempore disjectam. Prope ſummam ſcapi partem leguntur hi duo verſiculi:

ΤΟ ΘΕΙΟΝ ΕΡΓΟΝ ΕΝΘΑΔΕ ΦΘΑΡΕΝ ΧΡΟΝΩ
ΝΕΟΙ ΜΑΝΟΥΗΛ ΕΥΣΕΒΗΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ.

In foro mulierum (*Aurat bazar*) alia columna exſtat, quæ loco editiori poſita, navigantibus in *Propontide* eminùs conſpicitur. In tot tantiſque ſeculorum retrò actorum decurſorumque viciſſitudinibus mutilationem quoque paſſa eſt hæc ingens olimque magnifica moles, quæ ad centum quadraginta præterpropter pedum altitudinem aſſurgens, quadraginta duos in perimetro circumplectitur. Per cochleam intùs ad ſummum adſcenditur. Illic cælaturâ non admodum artifici figuræ prominent, quæ belli apparatum reſque ab *Arcadio* Imperatore geſtas, quarum memoriam, famæ ad poſteros uſque propagandæ cupidiſſimus ille qui fecit, hic exſtare voluit, oculis exhibere videntur, quod hactenus conſentiente omnium famâ creditum eſt. Inde apud *Francos columnæ hiſtoricæ* nomen. *Columna hiſtorica.*

In Occidentali urbis regione, quæ parvo à ſinu intervallo mœnia ferè attingit, palatii cujuſdam rudera ſuperſunt, quod *Conſtantini* à *Græcis* nuncupatur, an primi conditoris, an illius infeliciſſimi, qui matrem nomine *Helenam* quoque habuit, *Græcorum* Imperatorum ultimus, & in ipſâ urbis expugnatione à fugiente catervatim plebe in portâ, *Rudera palatii Conſtantini.*

tâ, ut quibusdam placet, dum ipse fugam parabat, oppressus periit, planè ignoratur, à *Turcis Tekir Serai* nomine priori à *Græco* κύρος, uti mihi videtur, corrupto. Visuntur adhuc in infima parte camera angusta, marmoreis columnis curiosè elaboratis ornata; in suprema ingens aula, quam basilicam meritò dixerim. De cæteris autem appendicibus, cum ruinis totæ oppleantur, ne relinquitur quidem conjectandi locus.

Aqueductus. Ne urbs tantæ amplitudinis, mari imminens, aquâ, quæ potui aliisque usibus inserviat, destitueretur, ab Imperatore *Valentiniano* cautum erat, qui non minùs splendori & magnificentiæ ipsius, quàm commoditati consulens, eam aquæductuum beneficio octodecim plus minùs milliarium intervallo, per varios anfractus inflexionesque viarum illic derivandam deducendamque curaverit. Hos tum vetustate tum turpi *Græcorum* negligentiâ ferè collapsos de integro superiori sæculo, ingenti sumptu restituit *Suleimanus* Imperator, qui ob res in bello præclare confectas, tum ob admirandam hanc fabricam aliasque, quas molitus est, apud omnes meritò audit *magnificus*. Tanto autem ardore huic operi, quod animo concepisset, intentus erat, ut singulis lapidibus collocandis nummorum, si opus foret, sacculum se impensurum dixerit. Maximè enim in optatis habere solitus est, ut vivus valensque tum horum aquæductuum, tum *Moschea* sui nominis fabricæ felicem coronidem imponeret, & tandem *Viennam* expugnaret; quibus peractis, se ex hâc vitâ lubentissimè, & quidem cum gaudio, discessurum. Non procul à

Bel-

Belgrado noſtro, viculo, quo ſingulis annis ad æſtus vitandos morari ſolebamus, & in confiniis viculi, qui appellatur *Domuzderi*, verſus mare *Euxinum*, manant hæ aquæ è ſcatebris, inde partim per tubulos ſubter terram hinc illinc cæmento firmiſſimè cohærentes conjunctoſque, partim per anguſtos canales effoſſos lenè fluentes, in varijs receptaculis coeunt. In illis calidis regionibus, ne id omittam, naturæ beneficam manum in profundendis aquarum laticibus gratulantur incolæ, cum earundem beneficium per totum vitæ curriculum quàm maximè ſentiant. Hinc putei, fontes, ciſternæ ferè ubivis proſtant, ut omnibus hâc ex parte ſubveniatur & benefiat. Propè ut plurimùm adſtat ampla quædam camera, pavimentum habens tabulatum, quæ pyramidis ad inſtar verticem faſtigiatum oſtentat. Hanc generali nomine *Kiosk* appellant; huc ſe recipiunt *Turcæ* flagrantibus anni æſtibus laxamenti & oblectationis gratiâ: in his amœnitatibus ſub arborum ambulacris integros dies noctesque aliquando manent, & convivia læti agitant, eo potiſſimùm fine, ut refrigerantis auræ ventilationibus fruantur. Quiſque ſibi regnare videtur, dum his deliciis gaudet. Talis quoad figuram ædicula, ſed ſtructuræ longè operoſioris, intra ſinum Imperatoris palatio adjacet, cujus laquear curioſè inciſum pictumque pulchrè exſurgit, parieteſque teſſellis variegatis ornantur, pavimento tapetibus *Perſicis* obtecto. Cætera auro & quàm maximè divite apparatu ſplendent. Quo tempore *D. Legatus Hortulanorum Præfectum* (*Boſtangibashi*) magnæ apud *Turcas* authoritatis, qui

omnibus *Agiamoglanis* præest, inviseret, hanc subire nobis permissum erat. Inde quando hortos trans *Bosporum* in litore *Asiatico* invisere Imperatori libet, in actuariam, quam clavo assidens semper regit idem *Hortulanorum Præfectus*, itur. A latere palatii, quod alluit *Propontis*, ferè in medio alia eminet, unius, quæ altùm è terra elevatur, contignationis, à *Sinano Bassâ* condita, quam tùm ob prospectum, tum ob auræ, quam vapores marini tempore æstivo agitati suppeditant, commoditatem, Imperator, si urbi adsit, subinde adscendit. Sed ad cisternas, quibus aquæ colliguntur, redeo. Non unius sunt figuræ; quadras enim, rotundas, oblongas, polygonas passim intueri est: è cæso lapide fiunt, variæ pro diversâ earum ratione profunditatis latitudinisque: in fundum gypso vel lapide stratum per scalas commodè descenditur. Harum duæ sunt pulcherrimæ eodem penè à *Belgrado* intervallo, ad mille nimirum passus, ad Orientem altera, altera ad Austroafricum, ubi vespere spatiari soliti eramus. Ab hâc ad primum aquæductum prope viculum *Purgos* deferuntur aquæ. Hic autem & cæteri, qui in viciniâ sunt, vici à *Christianis* habitantur, quibus à pendendo ære capitario hâc de causâ immunibus, curæ est, ne stagnet aqua, ne extra suos alveos exundet, ne denique quocunque modo oppleatur, quo minùs liberè fluat. Hæc saxea moles perquàm magnifica in longitudinem maximè omnium excurrit, duobus fornicum alterius alteri impositorum ordinibus suffulta; quinquaginta autem numero sunt, si benè memini. Ad imum

vallis

vallis inter montes, quos jungit, interjacentis à summâ parte, quâ alveus utrinque instar projecturæ obtegitur, centum circiter pedum altitudo est. Propè & in conspectu alia grandis substructio, quæ in angulum curvatur, triplici fornicum serie munita. Ab altero latere in supremâ serie viginti duo arcus eminent, paris cum priori ad imum profunditatis: excavantur autem illic duæ porticus, quinque circiter pedes latæ, partim ab utrisque lateribus clausæ, partim apertæ, quarum intercapedo duodecim pedum arcum superiorem efficit, quibus, cùm per lutum & stagnantes aquas in valle subtùs depressâ neutiquam transeundum sit, hic tutò & de facili itur, equis manu quoque ductis. Ab altero autem, quod longè minus est, duodecim exstant fornices, qui pro variâ terræ declivitate diminuuntur. Hinc ad aliud aquarum confluvium. Ad mille passus tertia moles distat, quæ licèt infrà tantum quatuor habeat arcus solumque duplicem seriem, tamen ob eorundem amplitudinem quinquaginta pedes excedentem splendidissima & maximè magnifica mihi videbatur. Eandem fabricaturam magnificentiamque præ se ferunt aquæductus, qui in urbe sunt, prope *Selimi* Imperatoris *Moscheam*. Inde ad varias ipsius regiones ingenti civium beneficio per tubos aqua diffunditur.

De *Græcorum* ecclesiis in urbe adhuc durantibus, quæ *Christianam* religionem, licèt à pervicacibus *Mohammedicæ* superstitionis cultoribus horrendum in modum & gravissimè afflictam, non penitùs victam triumphatamque testantur, non

est quod longùm te morer, de quibus aliisque cognatis & ejusdem argumenti fortè longè commodior tractandi futura est opportunitas, cùm de ipsorum ritibus cæremoniisque sacris agetur. Viginti sex in urbis ambitu conclusæ numerantur, sex *Galatæ*, quæ olim juxta veterem Notitiam, sub temporibus Impp. *Arcadii* & *Honorii* confectam, decimam tertiam & decimam quartam regionem constituebat, numero pari tam in novâ quam veteri *Româ*. *Galatam* versus Aquilonem ab urbe sinus, à Veteribus Κέρας nuncupatus, trajectu parvis cymbis perquàm facilis, quatuor ferè stadia amplus, quadraginta longus, abjungit, qui tantæ est profunditatis in extremo litore, ut navium onerariarum, etiam grandium, proræ telluri impendeant, pluribus orgyis jactâ bolide à puppe relictis; tantæ quoque securitatis, ut à ventorum marisque violentiâ nihil hic damni vel naviculæ patiantur; horum vim montes undique circumjecti frangunt, illius verò promontoria, ut, quo tempore à Borea impetuosiùs propellitur, in hoc intermedio freto non eo usque pertingat. Extrà furentibus spumantibusque aquis, ingens hîc ubivis est tranquillitas. Ad Occidentem navale longâ camerarum arcuatim exstructarum, quæ juxta litus disponuntur, serie constat, ubi fidissima triremium statio, quas in aridam trahunt.

Galata. *Galata*, si ambitum & munitiones spectes, urbis speciem præ se meritò fert ostenditque. Mœnibus enim validissimis à *Valentiniano* Imperatore conditis, quibus turres imminent, circumcludi-

tur:

tur: versus terram prætenditur profunda fossa. A latere montis, qui oppositis *Constantinopolitanis* altior & scansu difficilior esse videtur, longè excurrit, ingenti à summo ad imum declivitate, ut cuiquam planè cavendum sit, ne alicubi præceps pronusque ruat. Adhuc quorundam nobilium *Genuensium*, quorum sub ditione erat, declinante & ad destinatam fatalemque periodum vergente *Græcorum* imperio, insignia gentilitia hinc illinc insculpta visuntur. Extra muros tam in litore quàm in dorso, nimirum *Perà*, (hoc generali nomine, quod totius regionis situm respectu sinûs denotat, jam peculiariter restricto) ac alibi longè latèque habitatur, ubi plerique *Christiani* Legati ædes satis magnificas commodasque habent. Sed de adjacentium locorum, cùm nihil in se habeant eximii, nominibus in præsens de industriâ abstineo, ad finem scriptiunculæ hujus, quam in nimiam prolixitatem excrevisse sentio, properaturus. *Regio.* Περαία.

Ex hâc imperfectâ & breviculâ *Constantinopoleos* notitiâ quantillum antiqui splendoris & magnificentiæ hodie superst, & quàm nihil penè de ipsius veteribus monumentis relinquatur, tibi satis liquebit; utpote quæ tantarum ab incendiis, terræ motibus, novisque dominis, quibus aliæ res magis curæ sunt, mutationum vices subiit, ut si modo magnus ille *Constantinus*, si cæteri Imperatores, qui hanc urbem, olim verè augustam, palatiis, molibus giganteïs, obeliscis, colossis, basilicis, columnis, templis, porticibus, nymphæis aquarumque castellis, circis, statuis, arcubusque triumphalibus, (ærario tantis sumptibus penè

exhausto) junctis peritissimorum artificum mechanicorumque à quavis mundi plagâ operis, exculissimam ac omnibus numeris absolutam effecerint, vitâ demum redditâ ad terras remearent; de oculorum fide quererentur, & se in alienâ urbe, non suâ, versari crederent. Ab hujusmodi autem ruinis ubivis in oculos incurrentibus, quæ urbes iisdem fati legibus subjici, tandemque interire & quasi mori testantur, humanæ fragilitatis mortalitatisque solatium petendum esse, quod aliqui volunt, à genio & indole humanâ; ad quam à naturâ apti compositique sumus, penitùs alienum ab ineunte ætate intimis medullis usque fixum est, quibus potiùs ingemiscendum mihi videtur, cùm non temerè, non casu fiant, sed ab irato Numine inducantur. Justissimus ille simul & maximè misericors Deus harum vicissitudinum longè alium usum futurum esse voluit, tum ut quorum tristia fata infelicemque catastrophen non sine horrore contemplari, nedum præsentes intueri possumus, ab eorundem luxu, à flagitiosâ & deside vitâ, & à sacrorum neglectu & contemptu abstineamus, tum ut dum pro continuâ rerum incertitudine, quâ mundus hic periturus urgetur premiturque, imperia intestinis dissidiis, barbarorum hostium invasionibus, & mole interdum suâ fatiscere, urbes everti, & omnia susque deque ferri meminerimus, aliò mentem, aliò oculos convertentes, ad beatissimas cœlorum sedes æternùm duraturas, quas nulla ætas concutiet, nulla delebit vicissitudo, irrequieti anhelemus.

Sed tua tempora, Vir ampliſſime, qui in alienis

nis oris paci instaurandæ magno (*christiani* orbis beneficio intentus, rem patriæ tuæ strenuè & felicitèr sustines gerisque, non jam amplius morabor. Macte esto virtute tuâ & honore, cui hæc illustris Legatio præludit, quam omnes, qui tuam sine fuco pietatem, eruditionem reconditam, ingentes perquàmque liberales, quos feciſti, in augendo, quo educatus eras, Collegio sumptus, (additâ nimirùm pulcherrimâ & magnificâ novorum ædificiorum appendice) de Viris Ecclesiasticis benè merendi studium promptissimum & alacre, tuum denique ingenium subactumque judicium rebus quàm maximè arduis capiendis, iisque facilè expediendis aptissimum nôrunt, (quis verò per universam *Angliam* tantus hospes est, ut ea non nôrit?) tibi ex intimo pectore gratulantur, nemo autem magis quàm ego.

E Collegio *B. Mariæ Magdalenæ Oxon. Julii 5. Anno Christi* M. DC. LXXIII.

A. V. omni mancupio & nexu addictissimus.

T. S.

AD PRÆCEDENTEM CONSTANTINOPOLEOS NOTITIAM SUPPLEMENTUM.

Eodem Authore.

POstquam *Constantinus* magnus, amœnissimo & commodissimo *Byzantii* inter duo maria situ, quod angustæ fauces alterutrinque præjacentes ab omni hostili impetu tutissimum reddiderant, mirificè delectatus, sedem imperii huc transtulisset, jactisque futuri splendoris & magnificentiæ fundamentis, * urbem suo nomine insignire gestiisset, speciali edicto, quod † columnæ marmoreæ prope equestrem statuam collocatæ in foro *Strategio* dicto, ubi statis temporibus militares copiæ convenire solebant signa explicaturæ, in-

* Κατὰ τὸ ἐπώνυμον ἡμῖν πόλιν. Ita *Constantinus in epistolâ ad Eusebium; de vita Constantini* IV. *lib.* 36. *c.* & apud *Theodoretum Hist. Eccles.* 1. *lib. cap.* 16, Vide etiam *Socratem Scholasticum Hist. Eccles.* 1. *lib.* 16. *cap.*

† V. *Socratem* ibidem & *Theophanem in Chronographia anno* XXV. *Constantini.*

sculp-

sculpendum curaverit, auctiori titulo *secundam* sive *novam Romam* nuncupari statuit, tum ne *Romanæ* gloriæ urbisque totius orbis dominæ oblivisci videretur, tum quòd in hac urbe instaurandâ maximè, ne dicam unicè, proposuit invictissimus Imperator, ingenti famæ in omne ævum propagandæ ex æmulatione ortæ desiderio incitatus, ut illa veteri *Romæ* in omnibus par futura esset. Quâ de causâ novam urbem iisdem juribus & privilegiis cumulavit, eosdem magistratus instituit, totumque, quaqua patebat, ambitum in totidem regiones partitus est: ut eadem planè, cùm ipsa quoque ἑπτάλοφος sive *septicollis* esset, cum illâ, quam reliquerat, quantum varius sermo pateretur, omnibus advenis appareret.

In hujus urbis laudibus efferendis *Græci* scriptores, quod nemo in hisce literis paulò exercitatus ignorat, ab isthoc tempore sunt effusissimi, *Romanos* tum Poetas tum Historicos æmulati: omni verò hyperbole amotâ, quotiescunque vel simpliciter nominandi occasio suppetebat, apud omnes augusto hoc titulo, ἡ Βασιλεύουσα, sive ἡ Βασιλὶς communissimè audiit: cui concinit istud * *Apollinaris Sidonii* elogium:

Salve sceptrorum columen, regina Orientis,
Orbis Roma tui.

Tractus iste terræ latè exporrectus, quam *Thracia* occupat, inde *Romaniæ* appellationem sortitus est: licèt quandoque pro universo *Romanorum* imperio accipi videatur, uti apud *S. Epiphanium* de

* In *Panegyrico*, quem *Romæ* dixit *Anthemio Augusto*, bis Consuli.

Arianorum hæresi verba habentem, πῦρ ἐ τὸ τυχὸν, ὃ κατείληφε πᾶσαν Ἑ Ῥωμανίαν χεδὸν, μάλιστα Ἑ ἀνατολῆς τὰ μέρη. Incolæ hinc quoque dicti Ῥωμαῖοι: quod vix ante media *Græci* Imperii tempora, quando inductis ex barbararum gentium prospero Marte & victoriis calamitosis stragibus, à pristino splendore declinare cœpisset, in usu fuisse crediderim. Eandem nomenclationem ad hodiernum usque diem retinent *Græci*: nam si quempiam in *Chersoneso Thracia* ubi ubi natum, cujas est, interrogaveris, statim respondit, Ῥωμαῖος, *Romios*. Ita enim dipthongo in simplicis literæ sonum conversâ efferri solet. Identidem *Turcæ Græcum Christianum* consueto convitio *Urum* seu *Rûm ghaoner* sive *Romanum infidelem*, uti & *Germaniæ* Imperatorem *Urumler padistha* sive *Romanorum Imperatorem* nuncupant. Hinc quoque sequioris ævi Imperatores *Græci* in suis literis, edictis & diplomatibus appellati Ῥωμαίων Βασιλεῖς: licèt fortassè, quod à vero simili non abludit, hoc splendido titulo jus ad universum illud imperium, quod *Constantinus* olim possederat, integrum sibi retinere voluerint, quo non sine vanissimâ dudum amissæ potestatis arrogatione freti, sese κοσμοκρέτορας nuncupârunt, ac si ipsis, veris Augusti Cæsaris heredibus & successoribus, hanc summam dignitatem Imperatores Occidentis, quos ex contemptu & indignatione missis, *Latino* vocabulo Ῥῆγες appellant, uti refert † *Luitprandus*, vi tyrannicâ contra omne æquum & fas abripuissent. *Græci* hodiè omnes *Christianos*, quaquaversum per Occidentem dispersos,

† In historiâ Legationis ad *Nicephorum Phocam*. p. 144. 151. 153.

La-

Latinos & *Francos* (Φεγγγς) promiscuè vocant. *Turcæ* verò solo posteriore nomine, quando fastu & insitâ morum feritate depositis vel saltem dissimulatis, nobiscum mitiùs & humaniùs agere videntur, uti solent. Iisdem quoque appellatur orbis *Christianus Frankistan* sive *Terra Francorum*, *Græcis* Φραγγία.

Turcæ jam à duobus seculis & quod excurrit felicissimo rerum statu insolescentes & tumidi, *Constantinopolim Alem pena* sive *mundi refugium* appellitant: ad quam sanè plurimi ex *Europæ*, *Asiæ*, vicinioriſque *Africæ* gentibus solent confluere, ubi, uti & ubi libet per universas ditionis *Turcicæ* regiones, cuique religionem sibi propriam publicis cœtibus colere & securè profiteri licet; nemini enim id per leges vetitum est, exceptis *Persis*. Cum enim *Persæ* veram *Mohammedis* religionem corrupisse, & ab ejus institutis ordinationibusque immane quantum defeciſſe ipsis persuasissimum sit, non mirum videri debet, si eorundem fidem, ut-ut *Alcorano* fultam, palam prædicari, utpote *doctrinæ vitæ & salutis*, quam solus juxta ipsos *Islamismus* præ se fert, adversam, sub severissimis pœnis vetent. In hos autem, qui se *Ali Mohammedis* generi discipulos esse gloriantur, spurcissimis convitiis pro more solent debacchari, tanquam in *Sectarios* & *Apostatas*, citiùs cum *Christianis*, *Judæis*, *Ethnicisque*, de quibus melius ominantur, quàm cum his, quos implacabili furore odisse constat, redituri. Neque sese in referendis gratiis hâc ex parte præstant *Persæ*, qui pro studio, quo erga politiores literas feruntur, *Tur-*

cas

cas tanquam ſtupidos omniſque ingenii & elegantiæ rudes, ne dicam, tanquam barbaros & ferorum ac vile pecus habent deſpicatui, illoſque ſuis facetis, ſatyris plebi ſuæ propinant deridendos. Tantum verò valet ſua placita rituſque defendendi zelus ac propriæ ſuperſtitionis amor, tantum iſtud internecinum, quod inde erupit, odium, ut quo tempore in finibus utriuſque Imperii bello confligere contingit, alter in alterius *Moſcheas* igni & ferro ſævire pietatis eſſe ducant. Memini calidiſſimos ſermones increbuiſſe *Conſtantinopoli* de quodam ingenii præcipitis & præfervidi *Perſâ*, vel ſaltem *Perſicæ* ſuperſtitioſæ cultore, qui in *Moſcheâ* Reginæ matris clarâ voce aſſerere, *Alium Mohammedi æquiparandum eſſe*, neutiquam veritus eſt. Illum *Turcis*, qui aderant, animo conſternatis, & impudenti hâc, ut videbatur, blaſphemiâ extra ſe quaſi raptis, ſacerdotibus zelotiſque maximè diſplicuit ſalvum evaſiſſe, qui temeritatis ſuæ pœnas aliter capite pependiſſet.

Græci viginti ſex eccleſias numerant *Conſtantinopoli*, ſex *Galatæ*, de quibus in libello *de hodierno Græcæ Eccleſiæ ſtatu* fuſè egi: duas *Scutarii*, unam *Chalcedone*, hodiè *Kadikui*: identidem in viculis, *Stauros*, *Chingilkui*, aliiſque ad dextram in *Aſiatico Boſphori* littore ſitis, uti quoque in *Europæo* ad ſiniſtram littore, ubi occurrunt *Beshiktash*, *Græcis* olim Διπλοκιόνιον, *Ortakui*, *Choruch cheſme*, cujus eccleſia *S. Michaëli* Ἀρχιστρατηγῷ ſacrata eſt, *Jenikui* ſive *Neochorion*, *Therapeja*, *Bujukdere*, aliique non incelebris apud Veteres famæ. Viſenda quo-

quoque ecclesiola est ad viculum *Tatoula*, non procul à *Pera*, in colle, quem ab ecclesiâ isti Μεγαλομάρτυρι dicatâ *S. Demetrii* collem nuncupant & *Græci* & *Franci*, situm, & ad *Haskui*, ubi amplum *Græcorum* cœmeterium præjacet, uti, & alia prope carcerem illum, quem *Bagno* appellant *Franci*, in quo post reductam, finitâ æstivâ expeditione triremium, classem includuntur miserrimi remiges. Hoc sanè non leve miseriarum ipsis est solatium, quod in locis urbi adjacentibus, circumviciniſque viculis, quos frequentes incolunt, ædes sacræ adhuc exstent, ex quarum nominibus tum hic tum alibi, præsertim in *Anatoliâ*, compertissimum habui, quod in earundem dedicatione secundum beatissimam Θεοτόκον, *S. Joannis*, *S. Demetrii*, & *S. Georgii* Τροπαιοφόρου frequentiùs quàm cæterorum memorias colant.

Armeni, cùm pauci admodum sint, & inquilinorum potiùs quàm incolarum censu referendi, septem tantùm, ni malè memini, ecclesiis gaudent.

At nullibi fortasse per imperium *Turcicum* major *Judæorum*, si *Cahiram Ægypti* regiam & *Thessalonicam* excipiamus; abundat copia quàm *Constantinopoli*. Accepi circiter viginti sex mille familias illic viciſque suburbanis reperiri; de quo tamen calculo, cùm maximè incertus mihi videatur, fidem meam nolo interponere. Eriguntur passim triginta circiter *Synagogæ*, illorum religiosis usibus destinatæ.

Hi omnes, quos recensui, tyrannicæ *Turcarum* dominationi ac arbitrio nexu servitutis addi-

cuntur,

cuntur, nec sui juris sunt. Singuli enim præter multiplices rapinas, quibus sunt obnoxii, capite censentur. Hic non possum non laudare subtile & suis contribulibus perquàm benevolum benignumque *Judæorum* ingenium, qui, cum *Turcico* Quæstore, interveniente quasi pacto, indictam pecuniarum summam vice hujus tributi pro universâ gente, quæ in urbe commoratur, fisco regio singulis annis pendunt. Hanc verò à suis pro ratione opum, commercii, muneris, familiæ, servatâ juxta regulas æqui & boni proportione, exigunt *Archisynagogi*: quod in ingens omnium commodum cedit, maximè verò pauperum, quibus hac ex parte vel penitus ablatâ vel saltem diminutâ capitatione, quantum expedire ipsis videbitur, misericorditèr succurrunt.

Ad sacella Legatorum *Anglici* & *Batavici* in urbe *Galatâ* accedunt Mercatores, aliique suæ communionis homines, *Christum* adoraturi. Paritèr *Missionarii Romanæ* ecclesiæ sub præsidio potissimùm *Gallici* Legati, in suis conventibus securè & absque omni molestiâ sacris operantur. Illorum sacella & ecclesiæ sunt

S. Petri, quam regunt *Dominicani*. Hic *S. Virginis*, *Madonna di Constantinopoli*, *Jesulum*, ut loquuntur, manibus sustinentis tabella, quam à *S. Lucâ* depictam fingunt, ostenditur. Non alio auctoramento quàm incertissimæ & maximè insulsæ Traditionis freti creduli & superstitiosi homines imaginem hanc omni decore, arte, & symmetriâ, ad quam perita manus solet attendere, destitutam, ac lampadum accensarum fu-

ligine

ligine deturpatam, summâ veneratione prosequuntur.

S. Francisci, quæ *Conventualium Franciscanorum* est. Hujus eversæ fundum efficaci apud *Turcas* post redditam *Candiam* tempore novi fœderis ineundi restituendum efficaci interceſſione procuravit vir excellentiſſimus, *D. Aloisius Molinus*, *Venetæ* Reipublicæ Legatus: inde pulchra eccleſia denuò exſurgit, collatitiis ex orbe *Chriſtiano* miſſis pecuniis condita.

S. Benedicti, in ædibus *Patrum Societatis Jeſu*, quas munificentiâ *Henrici* IV. *Galliarum* Regis maximi acquiſiviſſe perhibentur. Hic altare figuris *Muſivi* operis curioſè elaboratis ornatum eminet, & bibliotheca inſtructiſſima.

S. Mariæ, quæ ad *Franciſcanos ſtrictioris obſervantiæ*, quos *Zoccolanti* appellant, pertinet.

S. Georgii Capucinorum.

S. Annæ, quam regionis *Peræa* accolæ frequentes adeunt. Non multis abhinc annis *Turcæ* in *Mohammedica* ſuperſtitionis uſus eccleſias *S. Pauli* & *S. Antonii*, quorum illa *Arab-Giamèſi* ſive *Arabum Moſcheæ* nomine dignoſcitur, occupârunt. Interpretes noſtri, Δραγομάνοι, alias quoque eccleſias olim fuiſſe *Chriſtianorum* peculium, puta *S. Joannis* & *S. Gregorii*, hanc à *Judæis*, illam à *Turcis* inſeſſam, & *S. Sebaſtiani* maximè feſtis diebus frequentari ſolitam, mihi familiari ſermone retulerunt.

Aquilo magnam anni partem *Conſtantinopoli* regnat, ob vicinitatem maris *Euxini*, quod ad iſtam cœli plagam habet: adeo ut illâ impetuoſiùs re-

flante

flante naves onerariæ per duos aut tres continuos menses in ostio *Hellesponti* morari sæpenumerò cogantur, hoc olim observavit † *Eunapius* in vita *Ædesii*, quod ad situm vicinorum montium referendum esse statuit: cùm potiùs *Pontum*, quem *mare magnum* respectu *Propontidis*, ne dicam, *mediterraneî*, appellant *Græci*, ingentem vaporum vim in horum flatuum materiem & incrementum suppeditare dici oportuerit.

Hellespontus quadraginta circiter milliaribus in longum extenditur, ubi verò istud fretum maximè angustum est, quod *Sesti* & *Abydi* propugnaculis munitur, unico milliari latum, vel potiùs quadrante minus.

Ab *Hellesponto* incipit *Proponticum* mare, quod per centum & quinquaginta milliaria excurrit, in cujus medio navigantibus utrumque litus facilè intueri est. In illo sitæ sunt sequentes insulæ.

Cyzicus, prope littus *Asiaticum*, cui duabus molibus adjungitur, nomen antiquum adhuc retinet Κυζικό. Ejusdem nominis urbs à *Græcis* incolitur, & sedis episcopalis prærogativâ gaudet.

Proximè adjacet *Proconnesus*, hodiè *Marmora*, ob fodinas marmoris, quod illic effoditur: quod, uti & *Cyzicenum*, à *Plinio* memoratum adhuc in pretio est.

Besticus, *Græcis* hodiernis, ni fallor, Καλόλιμνο, *Turcis Imramle*, ferè in aditu sinus *Nicopolitani* à dextrâ.

† Συμβέβηκε ἢ κ᾽ τῇ θέσει τῶν Βυζαντίς μηδὲ εἰς πλῆν ἀρμόζειν τῶν καταφερομένων πλοίων, ἂν μὴ καταπνέυση νότ@ ἀκραὴς κ᾽ ἄμικτ@ κ᾽ τότε δ᾽ τὰ πολλάκις ἐμβαίνοντ@ κατὰ τ᾽ ὁρᾶν φύσιν συμβάντ@. p. 37. editionis *Genevensis* 1616.

Obja-

Objacent aliæ insulæ sinui *Nicomedienſi*; sex autem septem leucis *Constantinopoli* dissitæ, in quibus *Prote*, quæ ab urbe navigantibus prima occurrit, ad Austrum *Principe* & *Pyrgos*, quam eandem prorsus cum *Pyti* Veterum esse opinor, quæ introrsum versus sinum jacent; *Chalcitis*, hodie *Chalce* sive *Chalcis*: ad Boreazephyrum *Oxia* & *Plata* à positurâ ita dictæ. Cæteræ incultæ, & incolis destitutæ, quorum nomina alicubi *Turcicè* expressa à *Francis* pro lasciviâ ingenii & planè jocularitèr imponuntur.

Palatium Imperatoris in extremo urbis angulo versus Euroaquilonem, ubi olim situm erat vetus *Byzantium*, collocatur: prope litus, sed intra sinum, erigitur Augustale tentorium; inde in cymbam, quam semper regit ad clavum assidens Hortulanorum Præfectus, descendit Imperator in vicinam *Asiam* trajecturus, aut in freto *Bosporano* refrigerantes æstivo tempore captaturus auras.

In alterâ *Acropoli* versus Euronotum *Heptapurgium* est.

Suburbia in littore sinus versus Boreazephyrum projiciuntur; nam superato, qui adjacet, colle, ubi triplex murorum ordo incipit; latè exporrigitur campestris planities, nisi quod subinde, licet perrarò, intervallisque non mediocribus interpositis, ædes rusticanæ villicorum circumvicina prædia colentium spargantur.

In Orientali *Galatæ* regione jacet *Top-hana*, ubi majora tormenta funduntur.

Juxta hujus & superioris seculi Geographos, qui sequuntur *Ptolemæum*, *Constantinopoli* elevatur po-

lus XLIII gradibus & V minutis: *Arabibus* verò & *Persis*, ut *Abulphedæ*, *Naßireddino*, *Vlugh-Bego*, cum quibus πρόχειροι κανόνες *Chrysococcæ* è *Persicis* tabulis sumpti consentiunt, Borealior est, utpote graduum XLV. Veruntamen ex nuperis iisque certissimis observationibus constat, hos omnes in assignandâ hujus urbis latitudine gravitèr errâsse. Ad harum observationum differentiam conciliandam frustra obtenditur, polos mundi ab isthoc tempore dimotos, situm aliquatenus mutâsse: quod omnino gratis dicitur, & cum antiquis & longè accuratioribus cœlestium motuum calculis pugnat: potiùs dicendum videtur, veteres illos Geographos & Astronomos, cùm de eorundem diligentiâ & fide dubitare vix liceat, nimiùm credulas aures Nautarum, aliorumque in hac nobilissimâ scientiâ minùs exercitatorum, narrationibus, cùm in iisdem locis neutiquam ipsi versarentur, adhibuisse. Quod de *Ptolemæo* præcipuè sedulus harum rerum explorator compertum habebit, cujus observationes, quò loca sunt ab *Ægypto* remotiora, sunt minùs accuratæ & certæ. * Vir doctissimus *Joannes Gravius* nostras, olim *Savilianus* Astronomiæ Professor apud *Oxonienses*, sextante, cujus erat quatuor pedum radius, usus polum illic XLI gradibus & VI minutis attolli observavit: ipse verò cum aliis, observatione in areâ palatii *Anglici Peræ* factâ, latitudinem non nisi XL graduum & LVIII minutorum esse comperi. Sed re melius perpensâ facilè adsentior, *Gravii* hi-

* In epistolâ ad reverendissimum *D. Jacobum Usserium* Archiepiscopum *Armachanum*, quam in *Actis Philosophicis Oxonii* mense Decembri A. C. 1685. edendam curavi.

ce obſervationibus maximè aſſueti calculum noſtro eſſe veriorem.

Jedicula kapi ſive *ſeptem turrium* porta, ob vicinitatem ad iſtam *Acropolim* ita nuncupata, *Græcis*, ni fallor, Χρυσῆ, *Latinis Aurea*, manifeſto apud *Luitprandum* Librarii errore, *Carea*. Super hanc * hos duos verſiculos inciſos legere erat,

Hæc loca Theodoſius decorat poſt fata Tyranni,
Aurea ſecla gerit, qui portam conſtruit auro.

Hæc porta, quæ in duodecimâ urbis regione juxta veterem notitiam ponitur, ὡραῖα quoque dicta, ob pulchram decoramque illius ſtructuram.

Prope portam *Adrianopolitanam* eminet pulchritudine & inſignis *Moſchea Ali Baſſæ*, in editiſſimo urbis colle ſita.

Intervallum, quod inter ſingulas turres in ſupremo urbis muro verſus planitiem ad Occidentem, quantum ambulando metiebar, nonaginta circiter meos paſſus occupat, ſpatium verò inter primum & ſecundum circiter octodecim.

Luſtrum iſtud, quo leones, leopardi, cæteræque ſylveſtres feræ includuntur, olim fuiſſe eccleſiam τῇ Παναγίᾳ ſacram à *Græcis* accepi. Unicum verſiculum illic inſcriptum, cùm cæteri vix legi potuiſſent, hic appono:

Κατὰ Σκυθῶν ἔπνευσας θερμὸν ἐν μάχαις.

Error iſte, qui olim † apud *Dionyſium Byzantinum* inolevit, in freto *Boſporano* reciprocationem aquarum ſive æſtum interdum dari, inde originem du-

* *V. Sirmondi* notas ad *Sidonium*. p. 121.

† In libello *de Boſporo*: Τὰ ῥεύματα τὸ μὲν πλεῖον κατιόντα εἰσὶ ὃ ἔστι κατ' ὀλιγόστειαν ἀναῤῥέοντα.

xisse videtur, vel quòd flante impetuosiùs Boreâ aquæ ab istâ plagâ simul decurrentes majori violentiâ & fortiùs solito contra promontoria, quæ in sinum variis anfractibus inflexum excurrunt, impactæ repellantur: vel quòd furens Auster, fluctibus in *Propontide* & *Bosporo* in altum sublatis, aquarum contra fluentium vim adeò frangat, ut retrò actæ quasi in se redire videantur. Ubi fretum maximè angustum est, litorâ, quantum oculo metiri licuit, vix uno milliari, ubi verò latissimum, vix duobus milliaribus disjungi videntur, exceptis parvis sinubus, qui ob vada non nisi cymbulas recipere possunt, ubi aquæ sese magis introrsum in terram insinuant.

Certissimum est, alveum ab ipsâ naturâ fuisse, non arte excavatum, ut quidam ineptissimè hariolantur; parum memores, ubi ingens illa aquarum, quæ ex *Danubio*, *Boristhene*, *Tanaï*, aliisque fluviis in mare *Euxinum* effunduntur, moles exitum aliter esset habitura. Aquæ verò, quas tot fluvii affatim & continuò suppeditant, si cum Oceani, ne dicam maris mediterranei, aquis conferantur, sensu judice, quod sæpè gustando expertus sum, minus salsedinis in se retinent.

Pisces potenti naturæ instinctu bis singulis annis, vere & autumno, confertis copiis feruntur ex mari in mare per *Bosporum*: quorum captura *Græcis*, qui à vescendis carnibus ex instituto ecclesiæ magnam anni partem abstinent, cùm vili pretio veneant, in lucrum & commodum cedit, utpote qui vitam vix aliter satis commodè tolerare potuerint. Quo præsertim tempore transeunt redeunt-

deuntque pisces, vultures, corvi, fulicæ, cæteræque ex avibus rapacioribus, quas bombardularum explosionibus aut fugari aut occidi non sinunt *Turcæ*, supervolitantes expetitæ prædæ inhiant, ingluviem opimis offis exsaturaturæ.

Interdum maximè variat cœlum; serenitatem subitò conturbant fœdæ tempestates, quæ ex adverso quoque evanescunt: ex varietate ventorum hæc ætheris inconstantia dependet, qui magnum aut calorem aut frigus eodem die solent inducere.

Sævit aliquando, licèt perrarò quidem, hyems *Constantinopoli*. A *Græcis* provectæ ætatis, quibuscum mihi interceserat familiaritas & necessitudo, accepi, *Bosporum*, imperante *Achmete*, fuisse congelatum, illumque leporem canibus venaticis in oppositum litus *Asiaticum* persequendo agitâsse: quod ita facilè accidebat. Dum enim gelu aliquantulum dissoluto ingentia glaciei fragmina, è *Danubio* aliisque fluminibus erumpentia, suo impetu versus fretum hoc ferrentur, ea frigus, quod de novo ingruebat, ita simul constrinxerat, ut alveus ab omni parte esset permeabilis. Memini mense Decembri anno Ch. 1669. glaciem in sinu, qui *Galatam* ab urbe disterminat, apparuisse, quo insolenti spectaculo quidam superstitiosi *Turcæ*, qui hosce casus tanquam scæva omina & portenta pro genio gentis ex crassâ rerum naturalium ignorantiâ solent interpretari, finem mundi aut saltem quippiam mali ipsis prope imminere stultè crediderunt.

Obeliscus in hippodromo penè sexaginta pedes altitudine attingit: columna verò, in quâ *Arcadii*

& *Honorii* gesta sculpturâ protuberante exstant exarata, circiter centum quadraginta septem.

Alexius Comnenus Imperator, & filia ejus *Anna Comnena*, ingenio & eruditione ac natalibus imperatoriis æque nobilis, illic sepulti jacent. Reliquias quoque *SS. Anastasiæ* & *Euphemiæ*, quæ martyrii lauream adeptæ sunt, hæc sub *Diocletiano*, illa sub *Valeriano*, illic in loculis recondi gloriantur *Græci*.

Supersunt in ecclesiâ *S. Sophiæ* columnæ tantæ spissitudinis, ut vix brachiis iterum extensis quispiam possit amplecti. In cujus porticu superiore, quæ duas laterales conjungit, quarum singulæ circiter triginta passus latæ, fragmentum marmoris circiter duos pollices crassi pellucidum vidi: & in porticu Boreali in pavimento sternitur tabella marmorea subrubri coloris, è *Palæstinâ*, ut ajebant, advecta, super quam *beatissimam Virginem* fasces telasque, quibus erat obvolutus *Christus* infans, lavâsse & *Christiani* & *Turcæ* fabulantur. In eâdem celeberrimâ ecclesiâ unicum solum gradum, quo ex navi versus bema adscenditur, fuisse comperi.

Ampla *Moschea Chasim Bassæ* in regione *Peræensi* ad Occidentem olim *Christianorum* ritibus inserviebat, *S. Theodosiæ* titulo gavisa.

Ghianghir, *Moschea* quoque celebris, sita est in colle in viculo *Fundacle* prope *Tophanam*.

Constantinopoli adhuc manent angusti quidam vici, suggrundiis aliisque projecturis ab utrâque parte extensis propemodum concluſi, in quibus mercimonia venum exponuntur. Hos à *Græcis* conditos fuisse declinante imperio, στενὰς καὶ Φραν-

φραντὲς δρόμοι *Chrysalorœ*, non vana & verè prorsus inanis erit conjectura; at in aliis regionibus urbis visendæ sunt plateæ longè insigniores, quarum aliquæ peculiaribus mercibus distrahendis designantur.

Ex alterutro platearum latere elevatior est terra, ut inde ambulatio fiat commodior.

Prope *Suleimaniam* sese ostentant ædes Præfecti *Janizzariorum*, quæ toties dominos suos mutare solent.

In viculo *Beshiktash*, qui in litore freti positus tribus aut quatuor à *Constantinopoli* milliaribus distat, vidi magnificum sepulchrum famosi maris prædonis *Ariadini*, quem nostri scriptores *Barbarossam* nuncupant, in atrio prope *Moscheam*, ipsius sumptibus exstructam, duplicique columnarum ordine in ipso aditu ornatam. Hoc triremium Præfectus superstitionis & boni ominis causâ invisere, vicinamque *Moscheam* ingredi solet, ut prosperè succedat expeditio maritima proximè secutura, Deum rogaturus.

Numerantur centum circiter publica balnea, ut accepi, (neque enim hujus calculi aut aliorum ejusmodi fidem præstabo) quæ cùm sint maximi & perpetui usûs, tum religionis tum valetudinis & munditiei causâ, inter egregia pietatis & charitatis benevolique animi opera ab omnibus habentur: nec immeritò quidem. Cùm enim carnibus piperatis, aut peponibus, aliisque crudis eduliis pro variâ anni tempestate assuescant *Turcæ*, solâque aquâ, aut liquore isto nigro, quem fervidum pitissando sorbillant, contenti sint, (de iis lo-

loquor, qui legis *Mohammedicæ* institutionum observantissimi haberi volunt) cumque etiam otiosæ & desidis vitæ amantes ab omni ferè corporis exercitatione abstineant, ne ambulationibus quidem, aut propter ciborum digestionem aut propter voluptatem, addicti, non aliter nisi ex frequentissimo balneorum usu bonæ valetudini esset consulendum.

Subterraneas cisternas aquis recipiendis, si usus & necessitas postulaverint, destinatas passim reperire est: inter quas eminere illam, quæ subtus pavimentum *S. Sophiæ* excavatur, narrârunt *Græci*; nec id tanti duxerim, ut curiositati subeundo gratificari vellem. Harum beneficium experti sunt cives *Constantinopolitani*, durante fatali istâ obsidione, quâ urbs oppugnata tandem barbaris victoribus in prædam cessit. Hi verò ab omni metu liberi ita securè & negligenter vivunt, ut eas aut collapsas tibicinibus suffulcire aut cæno & sordibus oppletas purgare vix operæ pretium ducant.

Aquæductus, qui magnificis illis aquæductibus prope *Pyrgon* pares; ac quasi respondentes, aquam in ingentem cisternam *Sultani Selimi Moscheæ* adjacentem corrivant, in illa urbis regione, quæ *Mohammedis* expugnatoris & *Shâzadeh Moscheas* interjacet, collocantur.

Obsessa erat *Constantinopolis* terrâ marique circumcirca quinto Aprilis, occupata verò vicesimo nono Maii, die Martis, feriis Pentecostalibus, A. Ch. 1453.* sive juxta *Turcarum* computum, anno 857 *Hegiræ*, vicesimo die *Rebiæ* prioris.

* Vide *Annales Turcicos* ex editione *J. Lennclavii*. p. 44.

FINIS.

SPECIAL 87-B
7786
Bound w/
87-B 9868
87-B 9870